

Contenta

Formula reformationis

S. Cas. Nris de reatio.

Oratio legatorum regis Galie

Epitaphia et exhortatio regiam

Oratio in duobus

Epitaphia legum

Oratio de reatio

Oratio de reatio

Regum de reatio

40

fo
6



SACRAE. CAE

SAREAE MAIESTATIS DE

CLARATIO, QUOMODO IN NEGOCIO RELI-

gionis per Imperium, usq; ad definitionem Concilij generalis, uiuendum
 sit, in Comitijs Augustanis, XV. Maij, Anno M. D. XLVIII.

proposita, & publicata: & ab omnibus Imperij ordi-
 nibus recepta, è Germanica lingua in La-

tinam, quàm proximè fieri potuit,

uerfa, & ipsius Maiestatis

iussu typis excusa,


ne aut ipsi

propositioni, aut scripto, quod sube-

sequitur, scribentium uarietate

quicquam possit addi,

uel detrabi.



CVM GRATIA ET PRIVILE-
 GIO IMPERIALI.

FRANCOPHORDIAE AD ODERAM

excudebat Nicolaus Vuolrab.

SAO PAULO

SAO PAULO MAJESTADE DEUS

CONSTITUICAO DO TRIBUNAL DE SAO PAULO

Constituído por Decreto de Sua Magestade o Imperador, de 15 de Junho de 1820, e confirmado pelo Decreto de 15 de Setembro de 1821.

Proposição de Sua Magestade o Imperador, de 15 de Junho de 1820.

Alvará de Sua Magestade o Imperador, de 15 de Setembro de 1821.

Decreto de Sua Magestade o Imperador, de 15 de Junho de 1820.

Decreto de Sua Magestade o Imperador, de 15 de Setembro de 1821.

Decreto de Sua Magestade o Imperador, de 15 de Junho de 1820.

Decreto de Sua Magestade o Imperador, de 15 de Setembro de 1821.

Decreto de Sua Magestade o Imperador, de 15 de Junho de 1820.

Decreto de Sua Magestade o Imperador, de 15 de Setembro de 1821.



SAO PAULO MAJESTADE DEUS

SAO PAULO MAJESTADE DEUS

SAO PAULO MAJESTADE DEUS

SACRAE CAE

SAREAE MAIESTATIS DE

CLARATIO, QVOMODO IN NEGOCIO RE-

ligionis per Imperium, usque ad definitionem Concilij

generalis, viuendum sit, in Comitijs Augustanis

XV. Maij, Anno M. D. XLVIII.

proposita & publicata, &

ab omnibus Imperij

ordimibus re-

cepta.



MPERATORIA MAIESTAS, DO-

minus noster clementissimus, sacri Im-

perij Electoribus, Principibus & Stati-

bus praesentibus, absentiumq; Legatis

ac Consiliarijs clementer exponit, se ab

initio Imperij sui omnem animi & consilij uim eo sem-

per intendisse, ut prouidenda sibi ac promouenda

esse existimaret, quae cum salute, utilitate, dignitate ac

gloria Reipub. Christianae, & praesertim sacri Imperij

Germanicae nationis, patriae suae charissimae, coniun-

cta esse ullo modo uideretur, ut sic demum uniuersi Im-

perij ordines, membra ac subditi, sub Maiestatis ipsi-

us alis ac faelicis Imperio, quieti ac concordem tranqui-

lam & florentem uitam agerent. Animaduertit autem

sua Maestas, & perspicuis argumentis, ac re etiam ipsa

manifeste deprehendit, nisi rebus Christiane composi-

tis, & perniciosissimo Religionis dissidio legitime

summoto, unde ortae suspitiones, discordiae, bella,

odia, omnes Imperij Status magnis haecenus incom-

modis affecissent, neq; statuendae pacis, neq; iuris exer-

cendi, neq̄ certæ ullius tranquillitatis spem aliquam
existere. Quamobrem annis superioribus omnereme
diorum genus pertentans, uaria colloquia aliasq̄ tra-
ctationes instituit, sperans his rationibus noxiam hanc
dissensionem, uel ad Christianam conciliationem, uel
certè ad sensum aliquem meliorem adduci posse. Ve-
rum quum animaduersum esset, dum hæc agerentur,
huius discordiæ malum eousq̄ progressum, ut non
Germanos tantum, sed plerosque etiam alios nominis
Christiani populos communi contagione attactos, iam
labes illa peruaserit, ideoq̄ morbum hunc iam ferè
communem nulla ratione præsentius aut efficacius cu-
rari ac depelli posse, quàm Concilij generalis & Chri-
stiani ordinario salutariq̄ remedio, egit Cæsarea Maie-
stas, efflagitantibus id sedulo uniuersis sacri Imperij
ordinibus, ac post multas tractationes impetrauit, ut
Concilium generale Tridenti in Germania institutum
tandem fuerit, atq̄ inchoatum. Quare sua Maiestas ho-
rum etiam Comitiorum initio communes Imperij sta-
tus eò induxit, ut uestigia sanctorum Patrum, maio-
rumq̄ nostrorum sequuti, qui in hisce causis laboran-
tis Religionis confugissent ad œcumenica Concilia,
eisq̄ semper paruissent, ipsi quoq̄ inchoato Tridenti-
no Concilio adhererent, iudicium eius ac definitio-
nem expectarent, dicto audientes essent, eiq̄ se com-
muni consensione submitterent: & ut simul Maiestati
ipsius curam omnem permitterent rationes excogitan-
di Christianas & commodas, quibus ipsi Imperij ordi-
nes, usque ad Concilij definitionem, pie & quietè ui-
uere, nemoq̄ interea præter ius atq̄ æquitatem graue
aliquid pati posset. Quem omnium statuum consen-
sum, cum in ipsius Concilij obedientiam, tum in nego-
cium.

eium alterum curæ ipsius Maiestatis permissum, fate-
tur Cæsarea Maiestas se eo tempore grato animo susce-
pisse, & nunc etiam perlibenter accipere.

Ergo negocium illud ad se remissum, Cæsarea Ma-
iestas paterno affectu, summa fide, ac singulari diligen-
tia perpendens, omniumq; ordinum (ut ipsi quoque
probè norunt) rogatis de ea re intellectisq; sententijs,
& rerum conditione diligenter perspecta, non sine ma-
gno animi dolore cognouit, natam in Religione dis-
cordiam, uim malorū incredibilem inclytæ Germano-
rū genti hactenus attulisse, eiq; non minorem inde ca-
lamitatē in posterū etiam impendere. Quare si pacem,
iustitiā, & concordia statuere & cōseruare uelit, si diffi-
dentia malum tollere, quo status inter se uehementer
laborare cœpissent, necessitatem iam extremam atque
ineuitabilem postulare, ne causa hæc Religionis usque
ad progressum & definitionem Concilij, in hac rerum
omnium perturbatione & confusione relicta pende-
ret, sed potius ad Christianam aliquam conciliationem
moderationemq; perducta, in meliore sensu, & con-
cordia publicæ magis accommodato collocaretur. Non
enim existimabat contrarijs sectis undiq; erumpenti-
bus, amplius dissimulandum esse, aut ullo modo feren-
dum, ut per eas pax publica impediri deinceps aut per-
ruiari possit.

Hæc ita agenti suæ Maiestati, & nihil in re graui ac
difficili, aut laboris aut operæ intermittenti, quidam
magni nominis & status egregia animi uoluntate, qua
pacem publicam & Christianam concordiam profe-
quantur, & singulari in patriam charitate permoti, sen-
tentiam suam in hoc Religionis negotio, quæ hic ad-
iuncta est, opportunè obtulerunt, tradideruntq; dili-
gentius

gentius expendendam, simul polliciti, se eam diligenter obseruaturos esse.

Hanc uero consultationem, sibi oblatam cum Cæsarea Maiestas nonnullis Theologis peritia sacrarum literarum, singulari fide atq; eruditione præditis, excutiendam dedisset, ex eorum relatu accepit, eam consultationem, si in sensu recto & Catholico intelligatur, nostræ ueræ & Catholicæ religioni, Ecclesiasticæ doctrinæ statutis & ordinationibus (exceptis tantum duobus articulis, Communionem utriusq; speciei, & Coniugium sacerdotum contingentibus) minimè aduersari, Sed potius ad promouendam ac consequendam in hoc Religionis dissidio concordiam, ad pacem in Imperio stabiliendam, futuram, utilem atq; accommodatam: qualem & nunc sua Maiestas spectata horum temporum conditione, esse iudicat, ut quæ nihil magis optet, aut sibi curandum putet, quàm uideat aliquando uniuersos Imperij ordines sub ipsius Maiestatis Imperio in altissima pace degentes, unius sanctæ Religionis concordiam uinculo coniunctos, quemadmodum ex ratione Imperatoris dignitatis ad se existimat pertinere.

Quare nunc Cæsarea Maiestas à communibus Imperij statibus, qui Ecclesiæ Catholicæ institutiones ac decreta hæcenus summa cum laude obseruauerunt, clementer requirit, ut eadem deinceps religiose obseruent, teneantq; constanter, nec se ab eis auelli ullo modo patiantur, aut omnino quicquam immutent, quod ipsi se facturos, & perseueranter obseruaturos esse, iam antea obtulerunt, ac receperunt. A reliquis uero statibus, qui nouationes induxerunt, similiter sua Maiestas clementer, ualde ac seriò requirit, ut uel ad communes
status

status accedentes, in obseruatione constitutionum & ceremoniarum Ecclesiæ Catholicæ per omnia cum illis conueniant, uel saltem doctrinam suam, & Ecclesiæ institutionem iuxta prædictam consultationem, in omnibus moderentur, nec ulterius quicquam instituant, aut longius progrediantur, quòd si qui forte iam longius abscessissent, ut ij ad consultationis illius moderationem modis omnibus se recipiant, atq; illius se limitibus contineant, et ut omnes Imperij ordines, quo tranquillitati & paci publicæ commodior locus esse possit, prædictam consultationem hoc tempore tollerent, eamq; nec ipsi oppugnent, nec ab alijs oppugnari, aut doctrina, aut scripto, aut concionibus permittant, sed Concilij generalis definitionem & declarationem æquo animo & obedienter expectent.

Interea tamen sua Maiestas omnem curam, studium et diligentiam adhibebit, ut generale Concilium, quod status omnes efflagitant, celebretur primo quoq; tempore, & Germanica natio à præsentī hac dissensione penitus liberetur.

Nunc quoq; Maiestas eius dat operam, ut Christiana reformatio concipiatur. His etiam Comitij statibus publicanda, magna spe ac fiducia, quòd hæc ipsa ad disciplinæ Christianæ conseruationem, & uirtutum progressum, & ut abusus scandala, tolli possint, tumultuositatis sit allatura.

Et quoniam in prædicta consultatione, sub titulo de Ceremonijs inter alia scribitur, tolli atq; emendari debere, si quid forte irreplisset, quod causam dare possit superstitioni, &c. Reseruat sibi sua Maiestas curam in hoc ipso negotio, atq; alijs, ubi, & quando opus fuerit, modum & ordinem legitimum constituendi.

Si quid

Si quid enim Cæsarea Maiestas, quod ad Dei gloriam,
ad pacificandam religionem, firmandam pacem, iusti-
tiam & tranquillitatem in sacro Imperio Germanicæ
nationis, deniq; ad omnium Imperij ordinum utilita-
tem pertineat, suscipere, instituere, efficere, aut urge-
re poterit, in eo se cum omni clementia, ut Impe-
ratorem facere par est, exhibet paratissi-
mam, quæq; omnia Cæsarea Ma-
iestas utanimum suum decla-
raret, communibus stati-
bus clementer si-
gnificare uos-
luit.

Sequitur

SEQVITVR

CONSULTATIO, CVIVS

prius mentio facta est.

DE CONDITIONE HO-

minis ante lapsum.



DEVS creauit initio hominem ad ima *Genes. i.*
ginem & similitudinem suam, eumq;
gratia ornauit, & fecit per origina-
lem iustitiam, ut esset omnibus cum
corporis, tum animi uiribus rectus, nec agitare-
tur ullis turbidis & prauis motibus, Sed in eo ca-
ro spiritui, atq; inferiores animi uires superiori-
bus, quæ tantum ad bonum hortabantur, pare-
rent.

Cum igitur animus hominis tam bene consti- *Eccles. i.*
tutus esset, reliquit eum Deus in manu consilij
sui, usq; eò, ut non minorem haberet uim ad eli-
gendum bonum, quàm malum.

Quòd si hac libertate sua usus fuisset rectè, &
mandatis, quæ ipsi Deus dederat, obedisset, bo-
na quæ acceperat homo, atque iustitiam sibi &
omni posteritati suæ conseruasset, nihilq; ei ac po-
steritati ipsius defuisset ad benè beateq; uiuen-
dum: non fames, non sitis, non frigus, non æstus,
non dolor, nō morbus, non mors eum afflixisset:

B omne

omne denique peccatum atque uicium uitasset, nec ab illis tanquam peccatorum stipendijs, periculum ei ullum, posterisque illius allatum fuisset.

DE CONDITIONE HO-
minis lapsi.

Rom. 5.

Verum postquam primus parens noster contra quam mandauerat Deus, fecit, incidit in poenam à Deo propositam, & iustitiæ originalis donum pulcherrimum amisit. Hinc carentia iustitiæ huius unà cum uicioso concupiscentiæ habitu, quæ spiritui & superioribus animi uiribus perpetuò repugnat: quod peccatum (hoc est priuationem illius iustitiæ, qua parte rationem subditam reddebat Deo, unà cum concupiscentia) in omnem posteritatem suam propagauit, ut cum eo omnes, quotquot in hanc lucem æduntur, homines nascantur, nec eo uacuis sit ullus, ne unius quidem diei infans, secundum scripturas.

Galat. 5.

Ephes 2
1ob 25.

Hinc illud naturæ nostræ uulnus, ut animalis homo non percipiat, quæ sunt Spiritus, nec eadem ante gratiam expetat, atque liberè eligit: cum concupiscentia & affectus carnis, qui in eo domitur, inimicitia sit aduersus Deum, & à lege Dei abhorreat, tãtoque magis impediatur in bono, quanto magis ad malum impellit.

1. Cor. 5.

Rom. 8.

Et

Et quanquam retinet homo talis libertatem arbitrij, licet infirmam & læsam, ex qua tanquam fonte profluunt & uirtutes morales Ethnicorū, & harum actiones, tamen ante gratiam Dei & reparationem ad iustitiam, quæ coram Deo ualeat, aspirare haud potest, sed est potius seruus peccati, Satanæ mancipium, inimicus Dei, & malis huius mundi obnoxius. Premitur enim fame, siti, frigore, æstu, dolore, morbo, & ad extremum morte ipsa eueritur. Per unum enim hominem *Rom. 5.* peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.

Hæ autem istius primæ præuaricationis pœnæ, renatis cum peccatoribus communes sunt; illis tamen à Deo etiam ad exercitium adhibentur, iniustus uero & impijs infliguntur ad pœnam.

Adde huc, quòd in homine tali, quem peccatum originale deprauauit, quoad natura tantum constat, nec per gratiam instauratur, regnat unà cum concupiscentia praua, etiam Satan, qui eum uinculis seruitutis suæ constrictum tenet, in eoq; operatur, ut conuersetur in desiderijs suis, faciens *Ephes. 2.* uoluntatem carnis & cogitationum, ac originale, quod à parentibus traxit, peccatum actualibus cumulet, sitq; filius iræ, secundum Apostolum, ut si in hac miserrima conditione sua moriatur

Esaie 66.

riatur, iusto tandem Dei iudicio in gehennam coniectus, æternis ibi supplicijs plectatur, ubi nec ignis eius (ut apud Esaiam scriptum est) extinguetur, nec uermis morietur.

DE REDEMPTIONE PER CHRISTUM dominum nostrum.

*Iohan. 3.
Rom. 3.*

Deus igitur, qui diues est in misericordia, nolens perire, quos condiderat, filium suum misit in mundum, ut cum impossibile esset homini, seipsum liberare, in Domino hoc nostro atq; saluatore haberet redemptionem per sanguinem eius, ut scriptum est apud Apostolum,

Ephes. 1.

*Esaie. 53.
1. Pet. 2.*

Posuit enim Deus super eum iniquitates nostras, ut in corpore suo peccata ferret in Cruce, affigens ea in ligno. Hic cum innocens pro nobis peccatoribus pateretur, atq; satisfaceret, redemit quidem nos, & Deum Patrem ita placauit, ut idem Pater miseros nos, & peccatis inquinatos, ob sanguinem ipsius absolueret, ac sibi reconciliaret. Verè em̄ (inquit Paulus) erat Deus in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.

2. Corint. 5

Et quanquam Deus gratuito & propter nostrum suum propitius est nobis, & iniquitates nostras delet propter se, tamen ne sine ullo satisfactionis precio peccata remitteret ad ostensionem iustitiae

iustitiæ suæ pro incomprehensibili sapientia &
immensa bonitate sua, iustitiam cum misericordiâ Rom. 3.
dia miscuit, & uoluit, ut precium pro redimendis
nobis filij sui sanguine cõstitueretur, ut quas nos
peccatores dare deberemus poenas, easdẽ agnus
ille innocẽtissimus perferret in cruce, nosq; e uul-
neribus ipsius, quod nobis miseris deesset, redem-
ptionis precium mutuari, & ad liberationem sa-
lutemq; nostram usurpare possemus, ut cum mi-
seretur nostri benignissimus pater gratuito, non
tamen misereatur, nisi interueniente sanguine filij
sui, ut quod nobis hic gratis contingit, id tamen
merito ac iustitiæ Christi acceptum ferre debea-
mus, ut quicumq; gloriatur, in hoc Domino re- 1. Corint. 1.
demptore & saluatore nostro gloriatur.

DE IUSTIFICATIONE.

IAm qui precioso sanguine Christi redimitur,
& cui meritum passionis Christi applicatur, is
continuo iustificatur, hoc est, inuenit remissio-
nem peccatorum suorum, a reatu æternæ damna-
tionis absoluitur, & renouatur per spiritum san-
ctum, atque ita ex iniusto fit iustus. Nam Deus
quando iustificat, non humano tantũ more agit
cum homine, ut ei ignoscat duntaxat, peccatum
donet, & reum absoluat, sed faciat etiã melio-
rem, id quod homines tribuere neq; solent, neq;
possunt

possunt, Communicat namq̄ cum illo de spiritu suo sancto, qui purificat cor eius, & per charitatem in eodem corde diffusam incitat, ut quod bonum ac iustum est expetat, & expetitur opere ipso persequatur.

Psalm. 50

Hæc est uera illa iustitiæ inhærentis ratio, quam desiderabat Dauid, cum hanc mitteret uocem: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in uisceribus meis. De hac Apostolus scribit: Abluti estis, Sanctificati estis, Iustificati estis. Et cum inquit, Deum secundum suam misericordiam nos saluos fecisse per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abundanter per Iesum Christum saluatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius hæredes simus, secundum spem uitæ æternæ.

1. Cor. 6.

Titum 3.

Matth. 5.

Quanquam autem iustitia hæc, quæ è fonte legis spiritus profluit, longè est abundantior, quàm fuit Scribarum atque Pharisæorum iustitia, tamen in ijs, qui hac præditi sunt, nihilominus concupiscentia repugnat spiritui, quoad hic uiuitur: eo fit, ut ijdem illi mente quidem seruiant Legi Dei, carne autem legi peccati, & sine peccato non uiuant.

Galat. 5.

Rom. 7.

1. Iohan. 1.

Cum igitur homo plenam iustitiæ inhærentis perfectionem, quoad in hac terra uiuit, non
confe

consequatur, certè Christus, qui factus est nobis
sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio à 1. Cor. 1.
Deo, nobis in hac etiam parte benignissimè suc-
currit, quatenus & per communicationem iusti-
tiæ suæ, iustitiam hominis de illa participantis, in-
hærentem, ut effecit, ita auget, ut de die in diem
renouetur, donec in æterna patria plenè perficiatur,
& per meritum sanguinis sui preciosi, atq; ius-
titiam, quam constituit perfectissimam, impe-
trat homini indulgentiam, ut quod homo per in-
firmitatem suam minus potest, id per ipsius Chri-
sti perfectionem recuperetur, ac condonetur.
Hinc illa Iohannis consolatio: Filioli, hæc scribo
vobis, ut nō peccetis: Sed et si quis peccauerit, ad-
uocatum habemus apud patrem Iesum Chri-
stum iustum: ipse est propitiatio pro peccatis nos-
tris.

1. Iohan. 2.

Concurrunt quidem Christi meritum & ius-
titia inhærens, ad quam renouamur per donum
charitatis. Inhærens, ut ex ea piè, iustè ac sobriè
uiuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem
& aduentum gloriæ magni Dei & saluatoris nos-
tri. Sed meritum Christi, ut sit iustitiæ nostræ
inhærentis causa, & ut cum in multis labamur
omnes, ac propter infirmitatem imperfectio-
nemq; nostram multa occurrant, quæ animos
nostros turbare, & ad desperationem sollicitare
possint

Titum 2.

possint, in eodem merito & precioso Christi sanguine respiremus, ac inueniamus, quo ad spem salutis firmissimè niti ualeamus. Nam in Christo Iesu Domino redemptore & saluatore nostro, què induunt pñ, & cum quo donantur eis omnia, secundum Apostolum, omnia nobis sunt firmissima, solidissima & perfectissima, ut eisdem ipsis ad spem uiuam rectè fulciamur.

Galat. 3.
Roma. 8.

DE UTILITATE ET FRUITIBUS IUSTIFICATIONIS.

HAbent quidem iustificati pacem ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, eis namq; Deus est placatus, misericors & propitius, ut sperare possint, Si cum inimici essent, Deus reconciliauerit sibi ipsos per mortem filij, multo magis futurum esse, ut reconciliati saluentur, ut uerbis Apostoli, quæ consolationis plenissima sunt, utamur.

Rom. 5.

Item, qui iustificantur, ijdem etiam adoptantur Deo filij, ut hæredes sint Patris æterni in cœlis, cohæredes autem Christi, authore Paulo, & iam habeant ius ad eundæ hæreditatis illius, quæ est uita æterna.

Rom. 8.

DE

DE MODO, PER QVEM HOMO
iustificationem accipit.

ET si Deus non ex operibus iustitiæ, quæ fecit Titum 3.
homo, sed secundū suam misericordiam ius-
tificat eum, idq; gratis, hoc est, sine merito eius,
ut si gloriari uelit, in Christo tantū gloriatur, cu- x. Corint. 4.
ius solius merito redimitur à crimine, & iustifica-
tur; tamen Deus misericors non agit hic cum ho-
mine, ut cum trunco, sed trahit eum uolentem, si
adultus sit. Talis enim non accipit beneficia illa
Christi, nisi præueniēte gratia Dei, mens eius atq;
uoluntas moueatur ad detestationē peccati. Nam
cum peccatū separet inter Deum & nos, ut Esai- Esai. 59.
as inquit, nemo ad thronū gratiæ et misericordiæ
accedere potest, nisi qui prius per poenitētiā ab
eodem peccato fuerit auersus. Itaq; Ioannes cum Marci 1.
præpararet uiam Domino, dixit: Agite poeniten-
tiam, appropinquat enim regnum cœlorum.

Mox eadem gratia diuina mouet mentem in
Deum per Christum, & hic motus est fidei, per
quam homo sine hæsitacione credens scripturis
sanctis, & promissionibus, quas eadem afferunt,
assentitur. Christus enim ipse, cum primo exegis-
set poenitentiam, mox fidem talem requirit, in- Marci 1.
quiens: Quoniam impletum est tempus, & appro-
pinquat regnum Dei, agite poenitentiam, & cre-
dite Euangelio.

C Qui

Rom. 4.

Qui ita credit, & à diuinæ iustitiæ timore, quo utiliter concutitur, ad considerandam misericordiam Dei, & redemptionem per sanguinem Christi est conuersus, hic erigitur, & mouente gratia Dei, concipit fiduciam atq; spem, ut credat præter spem in spe, præter spem meriti sui; in spe misericordiæ promissæ, tribuens gloriam Deo, atque ita perducitur ad charitatem.

Rom. 5.

Tali in Deum fide quicunq; misericordiæ diuinæ ac Christi merito innititur, scq; eisdem committit, accipit promissionē spiritus, & sic iustificatur per fidem in Deum, secundum scripturas, ut ei non solum remittatur peccatū, sed idem etiam sanctificetur & renouetur per spiritum sanctum. Ea nāq; fides impetrat donū spiritus sancti, quod diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ quatenus ad fidem & spem accedit, eatenus per iustitiam inhærentem uerè iustificamur. Hæc enim iustitia fide, spe ac charitate ita constat, ut si aliquam harum iustitiæ huic subtraxeris, eandem ipsam mancam planè reliqueris.

DE CHARITATE ET BONIS OPERIBUS.

1. Timot. 1.
Rom. 13.

Charitas autem, quæ est finis præcepti, & plenitudo Legis, simul ac iustificationem ingreditur, fecunda est, iamq; omnium bonorum operum semina intra seipsam includit. Quæ ut parata est

est ferre bonos iustitiæ fructus, ita fert eos in iustificatione quamprimū, & quoties debet, ei q̄ operandi facultas impedimento aliquo non adimitur. Itaque fides, quæ per dilectionem operatur, Galat. 5 non uidetur uiua, sed sterilis potius, ac mortua, authore Iacobo. Quinimo homo quantalibet fide præditus, si ei desit charitas, manet in morte, ut Iohannes testatur, cum præsertim charitas iam esse debeat pars uitæ æternæ in nobis inchoatæ, & tandem per glorificationē perficiendæ. Quamquam enim fides & spes desinent, cum migrauerimus in illa æterna tabernacula, charitas tamen manebit, & nobiscum in eadem ipsa introibit, ut secundum eam beatissimè uiuere, ac Deo, qui tum nobis erit omnia, sempiterno æuo frui possimus. Est tamen fides nihilominus uera, qua Christiani ab infidelibus discernuntur, quatenus scripturis & reuelatis à Deo assentiuntur, etsi eadem à charitate disiuncta sit. Iacobi 2. I. Iohan. 3. I. Cor. 13.

Ex hoc maximo Dei dono, quod quanto magis in nobis augetur, tanto magis uetustas carnis nostræ imminuitur, quæ manant tanquam è fontibus bona opera ad salutem cuiusq̄ iustificati tam necessaria sunt, ut qui ea non fecerit, cum tenetur, gratiam Dei amittat, & tanquam palmes inutilis excindatur à Christo, & in ignem projiciatur, ut Iohan. 15. Matth. 7. Christus ipse in Euangelio suo docet.

Luc. 17.

Et quanquam opera hæc talia sunt, ut Deus ure quodam suo ea à nobis exigere possit, & sancti etiam, si omnia quæ eis præcepta sunt, fecerint, & agnoscere & dicere debeant, se esse inutiles seruos, tamen cum ex charitate profluant, & gratiæ Dei effectus sint, ac quia Deus secundum suam uoluntatem operantibus mercedem liberalissimè promissit, eadem & temporalium bonorū & æternæ uitæ remuneratione dignatur, secundum Apostoli testimonium, inquentis: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor uester non est inanis in Domino. Non enim est inustus Deus, ut obliuiscatur operis uestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine eius.

1. Cor. 15.
Hebr. 6.

Rom. 6.

Ac iustificati iam & serui facti iustitiæ, membra sua exhibentes serua iustitiæ ad sanctificationem, cooperante gratia bonis operibus abundant: & quanto magis eisdem abundant, tanto maiora iustitiæ incrementa ipsis adiunguntur, ut qui iusti sunt, iustiores fiant. Ne uerearis, inquit scriptura, iustificari usque ad mortem. Item: Qui iustus est, iustificetur adhuc. Et qui in Christo fructuosus est, reipurgatur à patre cœlesti, ut fructum copiosiorē ferat, ut Christus ipse docet. Et hæc est illa ex operibus iustificatio, de qua Iacobus frater Domini.

Apocal. 22.
Eccles. 18.
Iohan. 15.

Iacobi 2.

Quod reliquum est, etsi opera à Deo mandata ut necessaria ad salutem, sunt præcipue urgenda, iuxta

iuxta illud Christi: Si uis uitam ingredi, serua man ^{Matth. 19.}
data. Quæ tamen præceptis superaddita, aut piè aut
honestè suscipiuntur, ipsa etiam commendanda
sunt, ne à spiritu sancto multa horum in scriptu-
ris sanctis commendante discrepemus, aliàs relin-
quere aut uendere omnia, & sequi Dominum:
Item, seruare uirginitatem aut continentiam, bo-
nū & utile non esset. Quinimò Dauid cum salta ^{2. Reg. 6.}
ret ante arcam, iure fuisset irrisus à Michol. Item,
Paulus frustra remisisset salarium ijs, quibus uer- ^{1. Cor. 9.}
bum Dei prædicauerat.

Breuius discernenda sunt opera supereroga-
tionis, quæ supra præceptum (ut uerbo Chryso-
stomi utamur) fiunt, ab ijs, quæ contra fiunt. Hæc
enim Christus ipse damnat ut fermentum Phari-
sæorum. At illa spiritus sanctus in scripturis lo- ^{Psal. 118.}
quens commendat, inquit: Voluntaria oris mei
beneplacita fac Domine.

DE FIDV CIA REMISSIO- nis peccatorum.

Hic cauendum est, ne aut homines faciamus
securos nimis, sibiq; fidentes, aut anxia dubi-
tatione in desperationem impellamus. Itaq; cum ^{1. Cor. 4.}
Paulus dicat, Se quidem nullius peccati cōscium,
sed in hoc tamen non iustificatum esse: homo non
potest sine dubitatione propriæ infirmitatis aut

indispositionis credere sibi peccata remissa esse. Sed tamen non debet se in se ipso iactare, non ita tamē terrendus est, ut de promissis Dei, deq; mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet, & desperet se remissionem peccatorum, & salutem consequi posse: Quin ei omnes spes & totius fiducia certitudo esse debet in p̄cioso sanguine Christi, qui effusus est propter nos, & propter nostrā salutem, in quo ipso respirare nos atq; confidere & possumus certò & debemus, confirmante nos spiritu sancto, qui dat testimonium spiritui nostro, quòd simus filij Dei.

Rom. 8.

DE ECCLESIA.

NVnc de Ecclesia, quæ est uniuersitas Christi fidelium, agendū uidetur, in quam spiritus sanctus ita contrahit ac iungit renatos atq; Christianos, ut sint una domus, unum corpus, ab uno Baptismo & una fide, quæ authore Paulo, una est in omnibus Christianis. Itaq; etsi necesse est uitam Christianorum, ut ad perfectum finem, quo tendit Ecclesia, perueniatur, bonam esse ac piam, nemo tamen sibi persuadeat, ullam uitæ probitatem sibi profuturam esse, nisi se huic fidelium unitati & communioni iunxerit atq; accommodauerit. Sit igitur Ecclesia domus Dei uiuentis, & corpus illud, cuius caput est Christus: Multi enim unum corpus

Ephes. 4.

1. Timot. 3.

Ephes. 1.

1. Cor. 10.

corpus sumus in Christo, inquit Paulus. Pro hac
Ecclesia idem Dominus noster Iesus Christus se *Ephes. 5.*
tradidit, ut eam sanctificaret, mundans ipsam la-
uacro aquæ in uerbo uitæ, ut exhiberet sibi glo-
riosam, non habentem maculam, aut rugam, aut
aliquid huiusmodi, Sed ut sit sancta, & immacula-
ta. Ac cum Ecclesia unica sit illa columba & cor- *Cantic. 6.*
pus unum, certè ut hanc solam spiritu suo sancti-
ficat, & fouet Christus, ita extra eam dona gratiæ
sua tribuit nemini. Qui igitur in communionem
huius corporis nõ est, nihilo magis spiritu sancto
uiuificatur ad salutem æternam, quàm ut ullum mem-
brum naturale à corpore suo abscissum atque auul-
sum ad uitam naturalem, eo quod spiritu uitali, ab
uno suo capite defluente, non amplius uegetatur.
Itaque credendum est, neminem extra Ecclesiam Chri-
stianam, & communionem eius spirituales, uitam
æternam consequi posse. Cõmunionis autem huius
eam esse rationem, ut cum spiritus Christi ab eo ut
capite delabatur in corpus suum, hoc est Ecclesiam,
& omnia membra huius permeet, singula mem-
bra percipiant ex eo, quantum sibi satis sit ad salutem.
& quod singulis bonum contingit, id omnibus
commodare, atque adeo uniuersitati ipsi consulere. *Ephes. 4.*
Nam (ut ait Apostolus) crescunt membra in
charitate per omnia in illo, qui est caput Christus,
ex quo totum corpus compactum & connexum,
per

1. Cor. 12.

per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem uniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui, in charitate. In tali coniunctione atque societate hominum est summa coniunctio, dum membra pro se inuicem sollicita sunt, & siue patitur membrum unum, patiuntur omnia membra, siue gaudet unum membrum, congaudent omnia membra.

Matth. 18.

Actor. 20.

Ephes. 4.

Et quanquam Ecclesia, quatenus constat membris talibus, quæ secundum charitatem uiuunt, Sanctorum est tantum, & eatenus spiritualis & inuisibilis, eadem tamen etiam sensibilis est, qualem Christus ipse monstrat, inquit; Dic Ecclesie. Ad hanc eandem pertinent Episcopi, qui regunt populum, quem Christus sanguine suo acquisiuit. Pertinent alij item ministri. Dedit namque Deus quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios uero Euangelistas, alios pastores & Doctores. Ad hanc eandem Ecclesiam pertinet uerbum Dei, quod in aures influit; Pertinent Sacramenta; pertinent clauæ ligandi atque ab soluendi; Pertinent potestates coercendi per excommunicationem; Pertinet ius ordinandi ministros Ecclesie; Pertinent uocationes ad munera Ecclesiastica; Pertinet denique ius sancienti Canonibus. Debent autem, quæ ad sensibilem & externam Ecclesie partem pertinent, seruire ad consum

summationem sanctorum in opus ministerij, in
ædificationem corporis Christi. Iam in Ecclesia
non solum sancti, sed etiam mali, ut huius mem-
bra, licet arida, uersantur. Vnde eam Christus mo-
do reti in mare iacto, & tam bonos quam malos Matth. 13.
piscis cōprehendenti, modo agro seminato, bo-
nas fruges & zizania simul ferenti, cōparat. Nam
qui membra facti sunt Ecclesiæ per Baptisma, re-
cidunt sæpe in crimina, faciuntq; se seruos pecca-
ti, atq; æternæ damnationis reos. Et quanquã gra-
tiam cōmunionis sanctorum & spiritualis Eccle-
siæ amittunt, hærent tamen nihilominus in exter-
na Christianorum societate atq; Ecclesia, audiunt
uerbum Dei, & Sacramenta capiunt, & alia item
sensibilia cum Ecclesia habent communia, nisi uel
per excommunicationē iustam, uel per schisma,
uel per hæresim, uel per defectionem à fide Chris-
tiana abscindantur.

Misera est quidem conditio eorum, qui ex pec-
cato mortali languent, & à spirituali communi-
one remoti, in periculo æternæ damnationis uer-
santur. Sed quia tamen eis uerbum Dei audire, et
Sacramentis item uti licet, utiliter hisce tanquam
instrumentis diuinæ gratiæ in cōmunionem San-
ctorum restitui facilius possunt, præsertim cum
in Ecclesia etiam externa spiritus sanctus salutem
per uerbum Dei & Sacramenta operetur. Ver-

D rum

Titum 3.

rum schismatici, hæretici, & à fide Christiana de-
sciscientes, quia non solum è ipirituali, sed etiam
externa Ecclesiæ societate seiuncti sunt, quamdiu
in hoc calamitoso sunt statu, nō habent quo poss-
sint iuuari, ac recreari: Imo tanquam membra à to-
to Ecclesiæ corpore abscissa in suam ipsorum per-
niciem putrescunt, nō digni, qui in ulla corporis
Christi parte consistant, cuius unitatem tam tur-
piter scindunt, atq; lacerant. Hinc illud Apostoli:
Hominem hæreticum post unam & alteram ad-
monitionem deuita, sciens quia subuersus est, qui
huiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudis-
cio condemnatus.

DE NOTIS ET SIGNIS Ecclesiæ ueræ.

Matth. 24.

2. Timot. 2.

AC quoniam uarij sunt coetus humanæ con-
sociationis, operæ precium est, notas & si-
gna, quibus Ecclesia ab alijs societatibus huma-
nis discernatur, nosse: cum præsertim qui ab Ec-
clesia uera deficiunt Schismatici atq; hæretici con-
stituunt suos coetus, eisq; authoritatem et nomen
Ecclesiæ adiungere non dubitent, & alij eorum
alio in loco Christum esse dicant: à quibus ut ca-
ueamus nobis, Christus ipse monet. Sunt igitur
signa Ecclesiæ ueræ, hoc est, magnæ illius domus,
in qua non solum sunt uasa aurea & argentea, sed
& liq

& lignea et fictilia: & quædam in honorem, quædam
in contumeliam: doctrina sana, & rectus Sa-
cramentorum usus, quibus ab Ethnicorum & In-
dæorum cœtibus Ecclesia disiungitur, quorum
utrique & sana doctrina, & Sacramentis noui
Testamenti carent. Tertium signum est unitas,
quæ uinculo charitatis & pacis continetur, ac
membra Ecclesiæ ita conglutinat, ut non solum
de eo, quod perpetuus sanctorum consensus ab
Apostolis usque ad nos recepit & approbavit,
idem sentiant, sed etiam idem loquantur, monen-
te Apostolo: *Obsecro autem uos per nomen Do* *x. Cor. x.*
mini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis om-
nes, et non sint in uobis schismata: sitis autem per-
fecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Quar-
tum signum Ecclesiæ ueræ est, quod sit Catholica
& uniuersalis, hoc est, per omnia loca & tempo-
ra diffusa, & per Apostolos, eorumq; successores
continuata usque ad nos successione, præpagata
usq; ad fines terræ, iuxta promissiones Dei: Postu- *Psalm. 2.*
la à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam,
possessionem tuam terminos terræ. Item: Multi ue- *Matth. 3.*
nient ab occidente & oriente, & recumbent cum
Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum. Item:
Et eritis mihi testes in Hierosolyma, & in omni *Actor. 1.*
Iudæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ.
Item: Et ego rogabo patrem, & alium paraclenum *Iohan. 14.*

dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, sp̄ritum ueritatis, quē mundus non potest accipere.

Hæc duo signa distinguunt Ecclesiam Christianam à schismaticorum atq; hæreticorum gregibus, qui uinculum pacis rumpunt, & à Catholica unitate seipsos in suam ipsorum perniciem diuellunt, dum partem suam toti ac uniuersæ Ecclesiæ antefereunt.

DE AVTHORITATE ET
potestate Ecclesiæ

Iohan. 19.

ET si scriptura, ut Christus inquit, solui non potest, & idcirco immobilis, & omni humana authoritate maior est, tamen fuit penes Ecclesiam authoritas discernendi scripturas ueras ab adulterinis. Hinc Canon scripturarum, qui germanas à falsis, quæ sub nomine Apostolorū atq; discipulorum Domini obtrudebantur, discreuit.

Et ut Ecclesia huius rei authoritatem potestatemq; habuit semper, sic etiam interpretandi atq; adeo ex eisdem scripturis eliciendi & explanandi dogmata. Quippe cum huic spiritus sanctus non desit, qui ipsam in omnē ducat ueritatem, quem admodū Christus ipse promisit. Hinc illud Petri: Omnis Prophetia scripturæ propria interpretatione non fit, sed spiritu sancto inspirati sic locuti sunt sancti Dei homines. Atq; hæc interpretandi potestas cū primis necessaria est, in his præsertim, quæ

Iohan. 16.
2. Pet. 1

quæ difficilia sunt intellectu, id quod res ipsa docet.

Habet præterea Ecclesia traditiones à Christo & Apostolis per manus Episcoporum ad hæc usq; tempora delatas: quas qui conuellit, is negat eandem columnam esse & firmamentum ueritatis. Huius generis sunt Baptismus paruulorum, & alia. 1. Timot. 3.

Constat item, potestatem coercendi atq; excommunicandi esse penes Ecclesiam, idq; ex instituto Christi de potestate ligandi. Cui consentaneum est illud Apostoli: Tollite malum ex uobis. Matth. 26.
1. Cor. 5.

Habet item potestatem iurisdicendi. Nam cui competit ius coercendi, & potestas iurisdicendi deesse non potest.

Ac si quæstiones dubiæ oriuntur in Ecclesia, habet quidem hæc potestatem iudicandi de eisdem, atq; decernendi, idq; per Synodum. Et quod hæc in spiritu sancto legitime congregata decernit, spiritus ipse sanctus decernere uidetur, iuxta illud Concilij Hierosolymitani: Visum est spiritui sancto & nobis. Itaq; saluberrimam esse Conciliorum authoritatem dubitare debet nemo. Act. 15.

Et quod ex eodem Concilio Hierosolymitano intelligitur, est etiam penes Ecclesiam potestas constituendi Canones, idq; ad utilitatem Ecclesie, cuius potestas omnis est ad ædificationem, & non ad destructionem.

DE MINISTRIS ECCLE-
SIAE.

Habet Ecclesia doctrinā diuinitus traditam,
quæ populo explicanda est: habet sacra et ex
terna, quæ piè & salubriter ad utilitatem Christia-
norū tractanda sunt atq; explicanda. Quo minus
ministri, qui muneribus ad has res necessarijs fun-
guntur, eidem Ecclesiæ deesse uel possunt, uel des-
bent. At munera quidem hæc omnibus Christia-
nis cōmunia non sunt: uerum Deus ipse initio de-
dit quosdam quidē Apostolos, quosdā Prophe-
tas, alios uerò Euangelistas, alios autem pastores
& doctores, ad consummationem sanctorum, in
opus ministerij, in ædificationē corporis Christi.
Itaq; tempore Apostolorū nō omnibus data fuit
potestas ad functionem munerū Ecclesiæ, sed cer-
tis tantū, njs'q; ad eadem ipsa segregatis. Nam cū
Antiochiæ esset Barnabas, Lucius, Manahen, &
Saulus, ministrantibus illis Domino (ut Lucas in
Actibus Apostolorū scripsit) & ieiuantibus, di-
xit illis spiritus sanctus: Segregate mihi Paulum et
Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Cauen-
dū est igitur nobis, ne spiritale sacerdotiū, quod
omnibus Christianis, quos spiritus sanctus unxit,
commune est, cum hoc externo atq; ministeriali,
quod non omnium est, sed eorum tantum, qui ad
hoc uocati atq; ritè ordinati sunt, confundamus.

Quod

Ephes. 4.

Actor. 13.

Quod sine graui ac pernicioſa Eccleſiarum per-
turbatione atq; calamitate accidere non poteſt.

DE PONTIFICE SVMMO,
& Episcopis.

AT que ut Eccleſia, quæ eſt unius capituli, hoc
eſt, Chriſti, unum corpus, eo facilius in uni-
tate contineri poſſit, etſi multos habet Episco-
pos, qui populum eius, quem Chriſtus precioſo
ſanguine ſuo acquiſiuit, regant, idq; iure diuino,
unum tamen in remedium ſchiſmatis, qui cæteris
omnibus præſit, cum plenitudine poteſtatis ſum-
mum Pontificem habet, idq; pro prærogatiua
Petro conceſſa. Quod ipſum quàm utile ſit ad
auertenda ab Eccleſia ſchiſmata, ſatis conſtat iſis,
qui non ignorant à contemptu huius ſummi ſa-
cerdotis plerunq; ſchiſmata orta eſſe, ut Cyprianus
ſcribit, & res ipſa teſtatur. Qui igitur Cathedram
Petri tenet ſummus Põtifex, eo iure, quod
Petrus accepit à Chriſto dicente: Paſce oues meas,
uniuerſam Eccleſiam & gubernat, & guber-
nare debet. Qua tamen poteſtate ſua uti debet
non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem.
Hanc autem plenitudinem poteſtatis ſic uidetur
Chriſtus Petro eiusq; ſucceſſoribus dediſſe, ut
reliquis Episcopis partem ſollicitudinis eis com-
miſſæ non abſtulerit, ſed ſuarum Eccleſiarum
& dio

Act. 20.

Johan. 21.

& diocœsium ueros iure diuino Episcopos esse uoluerit. Debent autē Christiani omnes & Pontifici tummo, & singulis suis etiam Episcopis parere, iuxta illud Apostoli: Obedite Præpositis uestris, qui uigilant pro animabus uestris.

DE SACRAMENTIS in genere.

Sacramenta duabus potissimum de causis diuina authoritate instituta sunt. Altera, ut sint signa & notæ quædam magnæ illius congregationis, quæ est Ecclesia. In nullum enim nomen coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum uel Sacramentorum uisibilem consortio colligantur. Quamobrē Dominus noster Iesus Christus societatem noui populi Sacramentis numero paucissimis, obseruatione facilimis, significatione præstantissimis colligauit, Baptismo uidelicet, Confirmatione, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctione, Ordine & Matrimonio. Altera uerò est, ut non solū significant, sed etiam sanctificent, & conferant inuisibilem Dei gratiam, non propria rerum externarum uirtute, aut merito ministri, sed Domini instituentis ac secretius operantis. Itaque etsi decet bonum esse Sacramentorum ministrum, tamen malus etiam potest ea utiliter dispensare.

DE BAPTISMO.

AC primo quidem quia homini ad salutem necessarium est, ut regeneretur in nouam creaturam, cum alias natura sit filius iræ, instituit Christus ipse Sacramentum Baptismi, ut sit lauacrum illius nostræ regenerationis: quod sanè homini non minus est necessarium ad uitam nouam atq; spiritualement, quam natiuitas carnalis ad uitam naturalem. Nec salutem quisquam consequi potest, nisi aqua & spiritu sit renatus, ut Christus ipse testatur. Hoc igitur Sacramentum abluuit nos, sanctificat, iustificat: hoc Sacramentum facit, ut consequamur remissionem peccatorum nostrorum, Originalis atq; actualium: hoc deniq; Sacramentum tale est omnino, tamq; salutare, ut qui eo initiatur, induat Christum, ut Paulus scribit.

Ephes. 2.

Iohan. 3.

Galat. 3.

Constat autem Sacramentum hoc uerbo Dei aqua. Nam simulac uerbum ad elementum accedit, fit Sacramentum, cuius lauacra regeneramur & mundamur ab omni peccato. Itaque quoties aquam corpus abluentem cernimus foris, toties spiritum, quem non cernimus, intus plus operari cogitemus.

nam formam uerborum, sine quibus mysterium hoc confici non potest, Christus Apostolis tradidit, cum præceperit, ut in nomine patris, & filij, et spiritus sancti baptizarent. Huic præcepto Do-

Matth. 28.

E mini

mini, quoties baptismus confertur, & fides accipientis, si adultus sit, pro infantibus uero cum suscipientium eos, & pro ipsis confitentium, tum totius Ecclesiæ fides, & fungentis Ministri uerbum innititur, quatenus hic ait: Ego te baptizo in nomine patris, & filij, & spiritus sancti.

Ac nobis quidem uidetur ad excitandam fidem, consolationemq; adultorum uehementer pertinere, ut intelligant, qui in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizantur, se iam potestate, uirtute & potentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti consecrari ac sanctificari, seq; totos reconciliari Deo, & iam peculium Dei fieri, qui est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, in cuius tutelam iam transeunt, seq; foedere sempiterno cum Deo iungunt, quatenus Diabolo eiusq; operibus abrenunciant, promittuntq; se Deo militaturos.

Quod autem ad munus baptizandi attinet, etsi hoc ad Sacerdotes maxime pertinet, tamen Laicus etiam recte & utiliter in casu necessitatis baptizare potest. Nec, si hæreticus baptizari, dummodo debita materia, forma ac intentione utatur, sacramentum hoc iterandum est, cum hoc idem non dignitate ministri, sed ueritate uerbi diuini, & spiritus sancti uirtute constet.

Quanquam autem Baptismus aufert omnia
inqui

inquinamenta nostra, secundum scripturas, hic ta-
men non omnem uiciatæ naturæ languorem au-
fert, ut supra etiam monuimus. Relinquit enim
concupiscentiã ad malum inclinantem, reatu ipso
sublato, Cõcupiscentia autem illa contra bonum *Galat. 5.*
in homine spiritum pugnare non desinit, quoad
in hac terra uiuimus.

In quo tamen ipsa baptismi uirtus nobis non
deest, ut quæ non solum peccati omnis reatum
semel ademit, sed contra concupiscentiam adhuc
hærentem in nobis, & desideriorum bella cients-
tem firmat uires nostras per spiritum sanctum,
quo ipso ita munimur contra omnem concupi-
scentiæ uim, ut resistere ei ac præualere possimus,
monente Apostolo: Spiritu ambulate, & deside- *Galat. 5.*
ria carnis non perficietis.

DE CONFIRMATIONE.

ATq; ut homini ad uitam corporis nõ solum
necesse est, ut nascatur, ac sit, sed etiam ut cre-
scat atq; nutriatur, ita eidem ad salutẽ non solum
necesse est regenerari, uerum etiam in bono con-
firmari, & per uirtutem spiritus sancti augeri. In
quam rem institutum est Sacramentum cum pri-
mis utile, ipsa nimirum Confirmatio, quam cele-
brarunt Apostoli, cum Samaritanis imponerent

E z manus

Actor. 3.

Luc. 24.

Iohan. 14.

manus, cum utili huius efficacia, ut in Actibus Apostolorum scriptum est, Et quod hic egerunt Apostoli, Christi nomine fecerunt, & in mysterio hoc inducendo, non aliter quam in alijs partibus muneris sui, uicem Christi gessisse uidentur. Innititur autem mysterium hoc promissionibus Christi de gratia spiritus sancti, huiusq; missione: Ego mittam promissum patris in uos. Item: Paracletus autem spiritus, quē mittet pater in nomine meo, ille docebit uos omnia, Et quanquam Sacramentum Confirmationis initio impositione manuum tantum celebratum fuit, tamen Ecclesia sub ipsis statim Apostolorum temporibus, ex eorundem traditione, ut externo signo internam spiritus sancti unctionē designaret, ritui eius adhibuit Christum, cum impressione signi sanctæ Crucis. Quem morem, eumq; peruetuū, Ecclesia Catholica approbare non desinit, & credit, quos famulos suos Deus regenerauit ex aqua & spiritu, eosdem hoc mysterio ita consignari, ut septiformem spiritum sanctum Paracletum de coclis, Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiritū consilij & fortitudinis, Spiritū scientiæ & pietatis ac timoris capiant. Hæc cū credat, & in huius sacramenti administratione testificetur Ecclesia Catholica, quæ est optima mysteriorū dei interpret, qui aliter sentit, eandē negat ueritatis columnā esse atq; firmamentū.

1. Timot. 3.

Vis.

Vis igitur Sacramenti huius est, ut qui eo confirmantur, accipiant spiritum sanctum, quo in uia salutis progredi, perseverare, & tentationibus atq; insidijs carnis, mundi, Diaboli, foeliciter resistere possint.

Ac quia pleriq; eorum, qui baptizantur, infantes sunt, nec fidei professionem per se ædunt, conueniet, ut pueri, cum iam adulti, & de religione Christi iam satis instructi, ad percipiendum Confirmationis sacramentum accedunt, fidem Christi & obedientiam Ecclesie suo etiam ore profiteantur, & ieiuni ac confessi hoc sacro Mysterio initiarentur, quemadmodum per Concilium Aurelianense constitutum est. Non tamen censemus propterea paruulos ab hoc Sacramento repellendos esse, cum Christus ipse non dubitarit, eis manus imponere. Non enim legem hic damus Ecclesie. Minister autem huius Sacramenti sit Episcopus, id quod consensu totius Ecclesie Catholice & Apostolorum praxi comprobatur.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

AC quoniam homines renati saepe in grauiora crimina incidunt, instituit Christus Sacramentum poenitentiae, quod post baptismum sit nobis tanquam secunda tabula in naufragio. In

Iohan. 20.

hunc enim usum tradidit clauem soluendi, in-
quiens: Accipite spiritum sanctum, quorum remi-
seritis peccata, remittuntur eis. Simulac enim pec-
catorum peccati sui poeniter uerè, idemq; cum fi-
ducia accedit ad thronum misericordiae, & cre-
dit hoc Sacramento accipi, quod Christus pro-
misit, fit ei sicut credit: Nec deest Sacramento
huic, quod promissum est: ut enim Sacramenta
alia, sic & hoc uim habet sanctificandi. Consistit
autem Sacramentum hoc in absolutione Sacer-
dotis, quæ instituto & uerbo Christi nititur, qui
in hanc rem potestatem suam delegat Sacerdoti-
bus, inquit: Sicut me misit pater, & ego mitto

Iohan. 20.

uos: Accipite Spiritum sanctum, quorum remi-
seritis peccata, remittuntur eis. Sed quia tamen Sa-
cerdos non solum habet potestatem remittendi,
uerum etiã ligandi, cum utraq; simul diuinitus tra-
datur, uidetur eatenus potestatem iudicandi acci-
pere, quatenus hanc utriusq; clauis potestatem acci-
pit, nec eam exercere posse, nisi intelligat, utrũ re-
mittere, an retinere debeat. Tale autem iudicium
non potest aliunde, q̃ ex confessione oris & pecca-
torum enumeratione hauriri. Nam cum plæraq;
hominum delicta sine teste committantur, oculi-
ta autem crimina animam etiam saucient, atq; oc-
cidant, ac manifestis interdum grauiora & pericu-
losiora sint, Sacerdos de his non sanè iudicare po-
test

test, nisi qui commisit, ea recenseat & confiteatur,
& hæc sua quasi uulnera ipe aperiat.

Itaq; quatenus ad sananda hominum delicta
pœnitentiæ remedium monstratum est, eatenus
etiam cōfessio pœnitentis cum enumeratione pec
catorum nobis commendata uidetur. Quare ut
Sacramentum Pœnitentiæ tanquam salutare &
necessarium probandum est populo Christiano,
ita ipsa etiam confessio & peccatorum enumerat
tio, quæ ut non nimis laxanda est, ita uicissim non
nimis astringenda. Delicta quis intelligit? Itaque *Psalm. 18.*
enumeranda sunt peccata, quæ non quidem anx
xiè nimis, sed tamen diligenter cogitanti, & sese
excipienti in mentē ueniunt. Quæ autem in mens
tem non ueniunt, generali confessioni rectè inclu
duntur, & nihilo ea minus remittuntur, quàm si
ea confitendo enumerasses. Et quoniam hic ex ab
solutione quæritur uenia, non tantum oneris im
ponit Confessio, quantum consolationis absolu
tio credenti affert.

Iam etsi illa satisfactio, quæ culpam & æternam
pœnam expiat, soli Christo tribuenda est, satisfac
tio tamen, quæ in pœnitentiæ fructibus consis
tit, maximè aut in ieiunio, elemosyna, & oratio
ne, siue à nobisipsis suscepta, siue à Parochis et dis
pensatoribus Sacramentorū iniuncta, si ex fide &
charitate peragitur, peccatorum causas excindit,
& pec

& peccati reliquijs medetur, ac temporalem pœnam uel tollit, uel mitigat, & in exemplum deniq; adhibetur.

Sed ut ad absolutionem sacerdotis, in qua consistit uis sacramenti Pœnitentiæ, redeamus, forma eius & uerbum tale esse debet, ut qui confitetur, audire atq; intelligere possit, sibi uirtute, merito ac beneficio Christi peccata remitti, iuxta huius institutum & uerbum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Nam hoc munus est Dei, cum ministerium sit sacerdotis, ut uerbis Ambrosij utamur.

DE SACRAMENTO Eucharistiæ.

Qui iam per sacramentum Pœnitentiæ reuixit in Domino, ei item necesse est alii, & in bono spirituali crescere. Instituit igitur Christus Sacramentum Eucharistiæ sub uisibili specie panis & uini, quod uerum Christi corpus & sanguinem nobis præbet, & hoc spirituali cibo unit nos sibi ut capiti, & membris corporis sui, ut in ipso ad omne bonum enutriamur, & cum sanctis in eorumq; communionem augeſcamus per charitatem: Unus enim panis, unum corpus sumus omnes, qui ex uno pane participamus, inquit Paulus. Forma autem huius Sacramenti, sunt uerba illa solennia, quæ Christus ipse dedit: Hoc est corpus **meum**

Iohan. 20.

Iohan. 6.

1. Cor. 10.

Matth. 26.

meum. Et iterum: Hic est enim calix sanguinis
mei, &c. Quod si igitur Christo & uerbo eius tan LUC. 22.
tum tribuimus, quantum debemus, dubium non
est, quin simul ac uerba eadem accedunt ad panem
& uinum, ex his fiat uerum corpus, & uerus san-
guis Christi, quatenus panis ac uini substantia in
uerum Christi corpus & sanguinem transmuta-
tur. Quod si negat, idem Christi omnipotentiam
in dubium uocat, & eundem ipsum uanitatis insi-
mulat. Quo magis cauendum est, ne indignè hoc
Sacramentum sumatur. Scriptum est enim: Nam
qui edit aut bibit indignè, iudicium sibi edit ac bi I. COR. IX.
bit, non dijudicans corpus Domini. Propter hoc
multi inter uos infirmi sunt, ac imbecilles, & dor-
miunt multi. Indignè autem sumit Sacramentum
illud, quicumque aut aliter de eo sentit, quam oportet,
aut non uerè respiscit. Nam (ut Augustinus
inquit) mutet uitam, qui uult accipere uitam: nam
non mutet uitam, ad iudicium accipiet uitam: et
magis ex ipsa corrumpitur, quam sanetur: magis
occiditur, quam uiuificetur. Itaque probanda est
consuetudo Ecclesiae, quae hominem non ante ad
sacramentum Eucharistiae ducit, quam poenitentiae
sacramentum eum repurgarit. Habet Eucha-
ristia uim roborandi in bono spirituali: cui rei non
sanè ullus est locus, nisi repurgatio peccatorum an-
tecesserit. In quo ipso imitari debemus bonos me-

dicos, qui non ante præbent, quæ roborare ac confirmare possunt, quæ malos humores è corporibus eiecerint. Quod nisi fecerint, non profunt ægroto, sed magis obsunt. Iam quanto maior hic adhibenda est cautio, ne indignè sumas, tanto plus consolationis capiunt, qui Eucharistiam dignè ac piè sumunt, & cogitant se pane è cælo descendente, qui vitam dat mundo, uesci, & ex hoc uerum atque spirituale robur contra omnia mala percipere.

Iohan. 6.

DE SACRA VNCTIONE,

Sacramenta, quæ paulo superius posuimus, magnam sanè & multiplicem utilitatem generi humano afferunt, dum aut ex uetustate carnis languentes regenerant, aut regeneratos in gratia, quam acceperunt, confirmant, aut relapsos in gratiam unde deciderunt, restitunt, aut restitutos Christo firmiter uniunt. In quem usum, eumque salutarem, non deest sacramentis gratia Christi, sed hæc potius per eadem ueluti instrumenta hominibus tribuitur. Quanquam igitur horum Sacramentorum utilitas latissimè per omnem uitam patet, tamen ne homo, cum ægrotat, desideret subsidium peculiare, quod hoc eius periculosissimo tempore, uel corpori ipsius subuenire, uel animam contra ignita Satanae tela munire possit, instituta est Unctio sacra, ad quam oratio Ecclesie

sic

fiæ accedat. Hanc Vnctionem primi exercuerunt
Apostoli, qui mandato Domini ad prædicand^o Marci 6.
dum Euangelium missi, dæmonia eiciebant, &
oleo ungebant multos infirmos, & sanabantur.
Quæ utique Sacramentalis & mystica, non me-
dicinalis aut corporalis unctio fuit, ad quam in-
ter initia fidei externa etiam corporis sanitas, quas-
si quoddam internæ sanationis signum conseque-
batur, quemadmodū in alijs sacramentis ad com-
mendationē & confirmationē rudis adhuc fidei,
interna uirtus externis & sensibilibus signis et mi-
raculis demonstrabatur. Nunc uero adulta & cor-
roborata fides, signa, quæ infirmis dantur, nō re-
quirit. Huius mysticæ & salutaris unctiois à Do-
mino fundatæ ritum quo administrari eam cōue-
niat, Apostolus Iacobus promulgauit: Infirmatur Iacobi 5.
quis in uobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, ut
orent super eū, ungentes eū oleo in nomine Do-
mini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuias-
bit eum Dominus, &c. Quanti autem in Ecclesia
esse debeat testimoniū fratris illius Domini? Tes-
timonium dicimus, imò uero promulgatio, quā
cum fecit Legatus atq; Apostolus Christi, Chri-
stus ut à se factam procul dubio ratā habuit: qui
igitur contemnit hoc Sacramentum, Christum
ipsum contemnere, & gratiam, quam hic per un-
ctionem sacram nobis quōdammodo porrigit,

aspernari uidetur, atq; hoc fuerit tanto periculo-
sius, quanto grauius est discrimen, in quo ægro-
tus uersatur, non solum corporis, sed etiam ani-
mæ, in quod potestates tenebrarum eum addu-
cunt, quatenus in extremo uitæ tempore omnes
quasi machinas, ad extinguendam salutem homi-
nis, admonent, eiusq; animum terroribus incre-
dibilibus frangere, et in desperationem impellere
conantur.

Iacobi 5.

Vnctionem quidem hanc sacram solis infir-
mis adhibendam, Iacobus Apostolus insinuat,
quod reliqui etiam Apostoli seruauerunt: Non
tamen in omnibus, sed periculosis modo infirmis
bus, & ubi uitæ huius interitus timetur, exercen-
da est.

DE SACRAMENTO Ordinis.

Quod autem ad ministeria Ecclesiæ attinet,
quanto hæc maiora sunt, tanto magis do-
no Dei ac gratia egent. Quanquam enim Chris-
tiani omnes sunt sacerdotes, quatenus spirituales
hostias Deo offerre, & nomen item eius in omni
loco utiliter inuocare possunt, non omnes tamen
sunt Ecclesiæ ministri. Sed iam inde ab ortu Ec-
clesiæ segregati sunt quidam in ministerium Ec-
clesiæ, qui huius muneribus fungerentur, & eos-
dem ita distinxit Deus, ne iidem omnia possent,
neue

neue ex promiscua illa ratione perturbatio nasce
retur. Neq; enim Deus est confusionis author. x. Cor. 14.
Institutum est igitur Sacramentum ordinis, cum
signo impositionis manuum, & alijs huic Sacra
mento congruentibus ritibus, quo qui consecras
rentur ad munera Ecclesiæ, acciperent gratiam,
qua ad eadem ipsa munera administranda apti,
habiles, atq; idonei efficerentur. Hinc illud Apo
stoli ad Timotheum: Noli negligere gratiã, quæ 1. Timot. 4.
in te est, quæ data est tibi per Prophetiã, cum im
positione manuum Presbyterij. Hoc autem ordi
nis Sacramentum uerbis Christi nititur: Sicut me Iohan. 20.
misit pater, & ego mitto uos; Accipite spiritum
sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur
eis. Item: Euntes in mundum uniuersum, prædica
te Euangelium omni creaturæ. Item: Euntes do Marc. 16.
cete omnes gentes, baptizantes eas. Item: Hoc fa
cite in meam cõmemorationem. Quibus igitur Matth. 28.
in perpetua Ecclesiæ successione manus imponit
Episcopi, ut ordinibus initiarentur, potestatem mu
neris sui exequendi dant. Quæ sanè duplex est,
Ordinis uidelicet, & iurisdictionis. Sub alteram
cadit ministerium uerbi diuini, administratio Sa
cramentorum, & Ecclesiarum ordinatio ad ædifi
cationem. Sub alteram uero potestas excommu
nicandi, & poenitentes absoluendi. Ordines au
tem, quos Catholica Ecclesia agnoscit, sunt hi se
Luc. 22.

ptem Presbyterorū, Diaconum, Subdiaconorū,
Acoluthorum, Lectorum, Exorcistarum, Ostia-
riorum, quibus distincta munera, eaq; aut necessa-
ria Ecclesijs, aut utilia assignari debent, ut facile ap-
pareat, eum de Ecclesia Christiana male mereri,
quicumq; Ordines hos uel spernit, uel tollit.

DE SACRAMENTO

Matrimonij.

Matth. 19.

INstituerat Deus in Paradiso Matrimonium,
quo mas & foemina ad perpetuam & indiu-
duam uitæ societatem coniungerentur, iuxta uer-
bum Domini: Quamobrem homo relinquet pa-
trem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt
duo in carne una. Quamquam autem Matrimo-
nium ad tam arctam hominum societate instituz-
tum erat, tamen sub lege Patrum matrimonia à
prima institutione duobus modis degenerarunt,
Videlicet ut unus & plures uxores duceret, & du-
ctam aliquando dato libello repudijs à se dimittes-
ret: Quarum prius ex dispensatione Dei permis-
sum, futuri temporis mysterio seruiabat, ut per
plures unius uiri uxores insinuaretur, Christum
tam ex synagoga, quam ex multitudine gentium,
Ecclesiam sibi collecturum, et sponsam sibi adiu-
cturum, & ut foecunditate plurium uxorū Chris-
to Saluatori, ex eorum semine nascituro, serui-
rent

rent. Repudiū uero Moses populo ob duriciam cordis permisit, leuius ducens, uxorem à uiro odio habitam dimitti, quàm occidi, ut cæde eius nouis nuptijs locum aperiret. Verum postquàm plenitudo gratiæ uenit, ut alia quæ uel in cælo, uel in terra essent, restaurauit Christus, Sic etiam Matrimonium restituit. Hinc illud Christi: Qui Matth. 19. fecit hominem ab initio, masculum & foeminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque non sunt duo, sed una caro. Quos igitur Deus coniunxit, homo non separet. Et paulò post: Moses ob duriciam cordis uestri permisit uobis, dimittere uxores uestras, ab initio autem non fuit sic. Quamobrem quicumque dimittit uxorem suam, nisi ob fornicationē, & aliam duxerit, mœchatur.

Quod Apostolus interpretatur, cum ait: Iis, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio nō ego, sed 1. Cor. 7. Dominus, uxorem à uiro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut uiro suo reconciliari. Hæ itaq; Christiani matrimonij singulares conditiones manifestis scripturæ sanctæ testimonijs comprobantur, una, ut sit matrimoniū duorum tantum, hoc est, uiri unius cum una muliere coniunctio. Duo, inquit, erunt in carne una. Genes. 2. Nec sic iunctis liceat, defraudato coniuge suo, Matth. 19. alicui

alicui tertio corporis sui potestatem permittere, prohibente Apostolo, & dicente: Mulier potestatem corporis sui non habet, sed uir; Similiter et uir nō habet potestatem sui corporis, sed mulier. Altera conditio est, ut uinculum coniugij inter duos semel colligatū, nullo amplius diuortio, sed sola alterutrius morte dissoluatur. Nam quod Christus ob fornicationem dimitti posse uxorem insinuat, hæc separatio thori & mensæ consuetudinem inter coniuges scindit, uinculum coniugij non soluit, ita ut adulterium committat, uelut alienam contrectans uxorem, quisquis sic dimissam duxerit.

Quoniam igitur Christus matrimonium gratia sua melius fecit, & arctiori quasi uinculo constringit, ut quemadmodum Christus unius Ecclesiæ unus est sponsus, idēq; indissolubili nexu: sic unius uxoris unus sit maritus, idēq; perpetua conjunctione, & similiter atq; Christus cum Ecclesia sponsa sua perpetuū iungitur. Quare matrimonium non solum coniunctio est maris atq; foeminae, sed etiam Sacramentum, ob gratiam Christi, quæ ei nunquam deest, ut eum uir uxore suā diligere possit, perinde quasi Christus Ecclesiā, sic ille cum hac colat societate indiuiduam, ut una sit in perpetuū contentus, nec cum hac inuita diuortiu faciat, exceptis causis, quæ iure diuino explicantur.

Ac

Ac quoniam Deus fouet Matrimonium gra-
tia sua, idemq; approbat, quatenus cōiuges inter
se matrimonium contrahunt, signum datur illu-
stre, ad sperandum consuetudinem ipsorum cum
bonā esse per se, tum Deo gratā. Et quanq̄ prolis
procreandæ causa matrimoniū potissimum con-
trahi debet, tamen qui contrahit etiam fornicatio-
nis uitandæ causa, non peccat: Habeat enim unus
quisq; uxorem suam, propter fornicationem, in *1. Cor. 7.*
quit Paulus. Vis igitur sacramenti huius est, ut in-
telligant coniuges, se non humana, sed diuina au-
thoritate coniunctos gratiam accepisse, qua ipsis
legittimus congressus non imputetur ad culpam:
qua item Christianus uxorem gentilem cum eo
manere uolentem sanctificet, & sanctos, hoc est,
Deo dicatos filios procreet: qua deniq; perpetuā
fidem coniugi seruet, ut sint duo in carne una, & *1. Timot. 2.*
qua mulier fidelis salua fiat in procreatione filio-
rum, si permanserit in fide & dilectione, & sancti-
ficatione cum sobrietate. Itaq; matrimonium ho-
norabile, in eoq; thorus immaculatus esse potest. *Hebr. 13.*
Quod cū Manichæi, Taciani, & Encratitæ igno-
rarent, matrimonium reprehendere non dubita-
runt. Quam eorum sceleratam temeritatem à do-
ctrina dæmoniorum profectam, Apostolus Pau-
lus damnat. *1. Timot. 4.*

Ac quoniā uinculum matrimonij tale est omnis

G no,

no, tantamq; uim habet ad coniungendū, ut non sit ullum cōiunctionis humanæ uinculum, quod magis constringat. Quod cum agnosceret Adam in Paradiso, sic de muliere, quā Deus ē costa corporis ipsius ædificauerat, locutus est: Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea: ob hoc uocabitur Virago, quoniam de uiro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrē & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque cum patria potestas huic inter coniuges cōiunctioni summo iure cedat, audiendi non sunt, qui uolunt hoc tempore matrimonium uel Sponsalia contracta scindi, & irrita esse, si parentum consensus non accesserit. Nihil hic detrahimus obedientiæ, quam liberi parentibus debent: sed nolumus parentes in impediendis, aut dirimendis matrimonijs potestate sua abuti. Quia tamen censemus honestatis esse, ut liberi sine consilio & consensu parentum non contrahant matrimonium, huius officij sui per Concionatores sedulo admonendi sunt.

An uerò parentibus potestas permitti debeat, in hoc casu liberorū inobedientiam derogatione, aut saltem diminutione dotis, aut aliqua alia uia puniendi, de hac re ordinariæ potestati cura relinquenda uidetur.

DE

DE SACRIFICIO MISSAE.

VT Religionem, sine qua nulla gens uiuit, ius naturæ introduxit, Sic etiam Cæremonias, sine quibus religio coli nec potest, nec solet. In ipsis uerò Cæremonijs externam oblationem uelut præcipuam omnes omnium sæculorum gentes obseruauerunt, quæ etsi (teste Cypriano) circumcisionem uelut crudelem et naturæ inimicam horruerunt, non tamen similiter repudiarunt reliqua sacrificia, sed in multis legem naturæ sequentes, expiationum retinuerunt instrumenta, & immolare uictimas, & incendere adipem, & libamini bus fundere coram Deo uota & preces, cultu cū ipsa natura hominibus insito, & per omnium animos diuinitus uulgato, perseuerauerunt. Sed & hoc cōmune, & omnium animis affixum omnes gentes tenuerunt, ut externæ oblationis cultū uni Deo deberi, magno consensu existimarent. Nemo enim externa oblatione colendū unquā censuit, nisi quem Deum esse, aut sciuit, aut putauit, aut finxit. Cuius cultus antiquitatem duorum fratrum, Cain & Abel, sacrificia comprobant: quorum priorem simul & munera eius auersatus reprobauit Deus, minoris uerò oblationem placatus aspexit.

Augustin. de ciuit. Dei, li. 10. cap. 6.

Genes. 4.

Hunc uerò sacrificandi ritum Deus (uolens omnes homines saluos fieri) mentibus hominum

hac de causa diuinitus in se uisit. Cum enim propter unius hominis peccatum uniuersum genus humanum iræ Dei, & iustæ damnationi obnoxium teneretur, tantoq; grauior & periculosior illis damnatio immineret, quanto magis peccata peccatis accumulando. iustam Dei iram contra se incitabant, Deus nolens perire, quos condiderat, mediatorem & reconciliatorem humano generi destinauit, qui nos cum authore nostro reconciliaret, & iustam Dei iram singularis sacrificij oblatione placaret. Deus igitur magnæ dilectionis, filium suum carne nostra circumdatū, misit in mundum, qui peccata nostra in se suscipiens, in corpore suo ea pertulit in cruce, & semetipsum pro nobis hostiam appendens, per proprium sanguinē in sancta. semel ingressus, æternā redemptionem adinuenit.

1. Pet. 2.

Hebr. 9.

1. Cor. 6.

Huius preciosissimæ hostiæ nidore delinitus pater iram remisit, & homines prius peccatis immerfos, impuros & iniustos, & damnationi obnoxios, nunc filij sui sanguine ablutos, absoluit, iustificauit, ac sibi reconciliauit.

Huius unicæ oblationis uirtus atque efficacia non illi modo tempori seruiens, quo Christus in carne hostiam se appendit, sed omnes omniū seculorum ætates complectens, omnium hominum, qui ab origine mundi fuerunt, & in finem usq; seculi

culi nascituri sunt, delendis peccatis suffecit: Verè enim erat Deus in Christo, mundum sibi reconcilians. Et: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et: Ipse est propiciatio pro peccatis nostris: & non pro nostris tantum, sed pro totius mundi. Mundus autem non unius temporis, sed omnium ætatum homines comprehendit. Hinc in Apocalypsi, Christus agnus dicitur, ab origine mundi occisus: quoniam sanguis eius omnium ætatum iam inde ab initio mundi delicta emundavit.

De hac oblatione, quæ ad totius generis humanæ reconciliationem una suffecit, Paulus ait: Unica oblatione consummavit in æternum sanctificationem. Et: Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum pacificans per sanguinẽ crucis, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Et: Placuit instaurari omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso. Et in Esaia: Torcular (inquit) calcavi solus. Et: Cuius liuore sanati sumus.

Vt uero huius tam efficacis oblationis, quæ omnium hominum salutem plenissimè, sufficientissimè, & perfectissimè meruit, omnes homines participes fierent, & eius fructum in se transferrent, Deus ab initio mundi sub lege naturæ diuina inspiratione in animis hominum sacrificandi ritum excitauit, & mox data lege diuersa sacrificia

2. Corint. 5.

Iohan. 1.

2. Iohan. 2.

Apocal. 13.

Hebr. 10.

Colos. 1.

Ephes. 1.

Esaia. 63.

Esaia 53.

monstrauit, quorum omnium hic usus erat, non ut homines Deo reconciliarent, & salutē ipsa mererentur; sed ut per hæc externa sacrificia uenturi sacrificij, in quo redemptionē omnium Deus promiserat, memoria in animis hominum subinde excitaretur, fides confirmaretur, & fructus eius credentibus, & in uirtute uenturi sacrificij sperantibus, applicaretur: & ut quoties ista sacrificia celebrarentur, homines tum aliorū beneficiorū Dei, quæ continua eius benignitate accipiebant, tum salutis suæ per promissum reconciliatorem accipiendæ, gratis animis recordarentur.

psalm. 47.

Nullum itaq; siue sub naturæ, siue sub Mosis lege sacrificium per se Deo placebat, quippe qui nō quæ offerebantur se non indigere, sæpe protestatus est. Si esuriero, inquit, non dicam tibi, meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Sed quatenus hæc uisibilia sacrificia inuisibilis & futuri sacrificij sacramenta erant, si quis ea in fide à Deo promissi Reconciliatoris obtulisset, hoc agens his externis Sacrificijs, ut fidem in uenturum Christum ostenderet, & salutaris istius sacrificij fructum, quē iam & fide conceperat, & firma spe expectabat, in se transferret, & Deo pro tantis beneficijs animi sui gratitudinem declararet. Vtiq; talia sacrificia & Deo grata, & offe

offerenti salutaria erant, nulla quidem sua propria, sed futuri sacrificij uirtute, quam per fidem offerenti applicabant.

Et ut ratio sacrificiorū disertè intelligatur, unicum est sacrificiū meritorium, cuius uirtus delens dis hominū peccatis, efficax homines à Deo alienatos, & iræ eius ac damnationi obnoxios reconciliauit, & æternam salutem & redemptionē toti hominum generi meruit: illa uidelicet Christi *Vi*ctima salutariis, qua pro delictis hominum in cruce Hebr. 10. se hostiam appendens, in æternum consummata uit sanctificatos. Cuius meritum non accipit augmentū, quia perfectum est: nec diminuitur, aut exhauritur, quia æternū est. Vnde & reliqua omnia sacrificia nihil huic sacrificio superaddunt, nihilq; ipsa per se merentur: sed unicæ huius oblationis fructum credentibus applicant, et ad excitandam & retinendam in animis hominum huius unicæ oblationis memoriam & fidem confirmandam, & pro omnibus Dei beneficijs declarandam gratitudinem seruiunt.

Sunt autem huiusmodi applicatoria Sacrificia quædam omnibus Legibus communia, & promiscuè omnibus hominibus permixta, quæ sunt Sacrificium contribulati cordis, & humiliati Spiritus, & ob colendam pietatē & susceptæ carnis afflictiones, sacrificium labiorum, precum, gratia

gratiarum actionis & laudis, & si qua sunt similia. Quædam uerò semper fuerunt uniuscuiusque legis propria, & certis hominum officijs alligata, à quorum oblatione alij magnis comminationibus et poenis arcebantur, i. Reg. xiiij. ij. Paral. xxvi. Nec ulla lex, quemadmodum nec ulla Gentium religio Sacrificijs caruit. Hæc enim tria colligata sunt, & se inuicem necessario consequuntur, Lex, Sacerdotium & Sacrificium, Hebr. viij.

Sic itaque sub lege naturæ iusti homines, & de Dei promissionibus edocti, in eum quæ futurum sciebant Saluatorem credentes, Sacrificia offerrebant, quorum oblatione, futuræ salutis fidem & spem, & pro ea gratitudinem suam declarabant, & eius quod futurum expectabant, salutaris Sacrificij meritis adiuuari ambiebant. Hunc morem cæteræ gentes, occulta inspiratione animis eorū insita imitantes, non quidem uerum Deum, sed quem Deum aut putabant, aut fingebant, sacrificijs placare uoluerunt.

Lex uerò per Moysen data, ad legē naturæ accedens, nō ut eam tolleret, sed ut meliōrē redderet, oblationes externas instituit, quæ & p̄figurarent futurū Christi sacrificiū, & quoties eas celebrarēt Iudæi, tū aliorū beneficiorū Dei gratis animis recordarentur, tum illius uenturi sacrificij uirtutē in se, credendo & sperando & orando transferrent.

Chris

Christus autem, qui nō uenerat legem soluere, *Matth. 5.*
quatenus uel naturalis, uel moralis erat, sed eā po-
tius adimplere, cum nouam legē suā, de qua iam
ante per Hieremiā, p̄miserat, in mundū inducere, *Hierem. 31.*
ne eam solā in hac parte contra præcedentium le-
gum cōmunem morē inancam aut imperfectionē
relinqueret, peculiari sacrificio, pariter et sacerdo-
tio eam instruxit: siquidem necesse fuit, iuxta Apo-
stoli sententiā, succedente noua lege, etiam sacrifi-
ciū huic legi peculiare cōsequi, *Heb. viij.* et sacerdo-
tes uelut huius sacrificij ministros assumi, *Hebr. v.*

In qua legis parte sanè bona, sancta & pia, idem
Dominus noster Iesus Christus, ne Ecclesiæ suæ
deesset, in ultima cœna cū gratias egisset Deo, Sa-
cramentū corporis et sanguinis sui instituit, dupli-
cem eius usum statim commendans, ut à fidelibus
uelut animæ salutare alimentū tumeretur: Accipite,
inquit, & comedite: Et ut in memoriam passio-
nis suæ offerretur. Cuius oblationis ministerium
Apostolis, uelut nouæ legis sacerdotibus contra-
dens: Hoc, inquit, facite in mei cōmemorationē.

Quemadmodū igitur ante Christi aduentum
Deus patribus certa quædam sacrificia tradidit,
quibus magni istius Sacrificij, quod futurū ipsi ex-
pectabant, memoriā in animis suis excitarent, si-
dem stabilirent, & fructū eius credendo & oran-
do sibi applicarent, & per eorum oblationem be-

H nescis

7. 112
neciorum Dei gratis animis recordarentur. Sic
Christus Ecclesie suae mundam & salutarem cor
poris & sanguinis sui oblatione sub speciebus pa
nis & uini comendauit, qua corporis eius in crus
ce pro nobis appensi, & sanguinis effusi memoria
subinde in animis nostris renouaremus, & fructu
istius oblationis cruentae, qua in aeternum con
summauit sanctificatos, in nos transferemus. Hoc
est enim facere in memoriam eius, id est, gratis
animis commemorare mortem Domini, & per
memoriam & meritum passionis eius deprecari
patrem, ut nobis reconcilietur.

Hebr. 10.

Hæc est munda & salutaris oblatio illius unici
Sacrificij, quo omnium salus comparata est, reme
moratiua, non solum significans, sed reipsa in se
comprehendens ueritatem illarum rerum, quas di
uersorum sacrificiorum oblationes olim præsi
gnabant: Eadem nimirum corporis & sanguinis
Christi hostia, quæ in Cruce est oblata, non alia,
idem agnus, non alius, et unus utrobique Christus:
sed tunc cruento & passibili modo oblatus est,
qua oblatione omnibus credentibus remissionem
peccatorum, & redemptionem sufficienter impe
trauit: Nunc uero eundem sub mysterio, & mo
do incruento & impassibili offerimus, non ut pec
catorum remissionem, & animarum nostrarum
salutem iam primò promereamur, sed ut passio
nis

Chrysostr.

nis Dominicæ memoriam recolentes, Deo gratias agamus, pro salute nobis in Cruce impetrata, & ibi promeritam peccatorum remissionē & redemptionem, fide & deuotione nobis applicemus & appropriemus.

Hanc tam salutarem uictimam in spiritu præuidit Malachias, cum ait: Non est mihi uoluntas in uobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu uestra: ab ortu enim solis usq; ad occasum magnū est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Quod uaticinium de solis spiritualibus sacrificijs accipi nō potest, quæ nullius legis propria, sed omnibus temporibus et hominibus communia existunt, & cum sacrificijs ueterum semper cōmixta durauerunt: at ipsa uerborum serie satis conuincitur, Prophetam loqui de sacrificio, quod sublati ueteribus sacrificijs, in locum eorum erat successurum. Vnde rectè hæc uerba de sacratissimo Christi sacrificio accipiuntur, non illo quidem, quo se in Cruce pro peccatis generis humani obtulit (illud enim nec inter gentes, nec in omni loco, sed in Iudæa cōsummatum est) Sed quod ex gentibus congregata Ecclesia, per totum terrarum orbem offert ad recordationem mortis Domini, & ad uirtutem eius in credentes transfundendam.

Malach. i.

Irenæus.

Atq; hic loci illius intellectus luculentis Patrum testimonijis roboratur. Irenæus libro quarto contra hæreses, cap. xxxij. Eum qui natura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum. Et calicē similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in uniuerso mundo offert Deo, de quo in duodecim Prophetis Malachias præsignauit: Ab ortu solis usq; ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum.

Augusti. contra aduersa, legis, libr. i. cap. 20.

Augustinus: Nouerunt, inquit, qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quādo benedixit Abraham: Et si iam sunt participes eius, uident tale Sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Vnde alius Propheta dicit: Ad eum qui secundum carnē est Israël, nō est mihi uoluntas in uobis, &c.

Ambrosius de hoc nouæ legis sacrificio testatur: Ante agnus offerebatur, offerebatur uitulus, nūc Christus offertur, quasi recipiens passionem, & offert seipsum quasi sacerdos.

Chrysostomus: Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis eius. Et una est hæc hostia, nō multæ. Quomodo una est, & non multæ? Et quia se
mel

mel oblata est illa, oblata est in sancta sanctorum.
Hoc autem Sacrificium exemplum est illius, idipsum semper offerimus: nec nunc quidem alium agnum, crastina alium, sed semper idipsum, &c.

Athanasius: Internum, inquit, Christi est Sacerdotiū, quia quotidie offertur per ministros Dei oblatio, Christū & Pontificē habens & sacrificiū.

Hanc uerò oblationē, quam Ecclesiæ in recordationem mortis suæ faciendam Christus cōmendauit, prius ipsum in coena exercuisse, & Patri seipsum sub speciebus panis & uini obtulisse, magni testes comprobant: inter quos David Christum appellans Sacerdotē secundum ordinē Melchisedech, satis ostendit, Christū sacrificio panis & uini figuram, quæ in Melchisedech sacerdote præcesserat, adimplessē. De qua re S. martyr Cyprianus lib. ij. epist. iij. Qui ordo utiq; est de illo Sacrificio ueniens & inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panē & uinum obtulit, q; Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, q̄ Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo patri obtulit: & obtulit hoc idem, qd Melchisedech obtulerat: id est, panē & uinum, scilicet corpus & sanguinem. Et mox: Ut in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset ritē celebrari, præcedit ante imago sacrificij in pane & uino

Genes. 14.

scilicet constituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum uino obtulit, & qui est plenitudo, ueritatem præfiguratae imaginis adimpleuit. Arnobius: Hic (inquit de Christo loquens) qui per mysterium panis & uini sacerdos factus est in æternum, secundum ordinem Melchisedech, qui panem & uinum solus obtulit in sacerdotibus, dum Abraham uictor reuerteretur de prælio. Damascenus: Pane & uino suscepit Melchisedech Abrahã ex cæde alienigenarum, qui erat sacerdos Dei altissimi, illa mensa hanc mysticam præfigurauit mensam: uelut & sacerdos ille Christi ueri Sacerdotis præfiguratam præ se ferebat imaginem: Tu es, inquit, Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Similia multa testimonia inueniuntur apud Hieronymum ad Euagrium, Augustinum de doctrina Christiana, libro quarto, cap. xxi. Ambrosium de Sacramentis, libro quarto, Chrysostomum, Theophilactum.

Secundum hæc sacrae scripturae & sanctorum Patrum testimonia, Catholica Ecclesia duo Christi sacrificia agnoscit, eadẽ secundum substantiã, sed secundum rationem & ritum offerendi multum diuersa: Vnum in Cruce cruentum, alterum, quo in cœna sub panis et uini specie corpus et sanguinem tuum ipse sacerdos iuxta ordinem Melchisedech

chisedech Patri obtulit, perpetuum condens no-
uæ legis sacrificiū, quod Apostolis suis ac successo-
ribus ipsorū, ut ad finem usq; seculi in memoriam
ipsius facerent, cōmendauit. Horū ut modus offe-
rendi diuersus, sic & usus discretus est. Cruento
suo sacrificio Christus totius mundi recōciliatio-
nem & propiciationē pro peccatis, & plenā om-
nium redemptionē impetrauit: Alterum uerō Sa-
crificium ad recordationē cruenti sacrificij institu-
tum, & Ecclesiæ cōmendatum est, quo Christum
impassibili & incruento modo sistimus Patri, nō
ut remissionē peccatorum, & redemptionem de
nouo mereamur, sed ut in Cruce meritam fide &
deuotione nobis applicemus, Christi iussionem
sequentes, qua iussit, ut hoc in memoriā sui face-
remus: id est, ut per memoriā & meritum passio-
nis suæ Patrem pro recōciliatione nostri, & pec-
catorum remissione, & animarum nostrarum sa-
lute, proq; corporum ac rerum nostrarum incol-
lunitate deprecemur.

Haecenus ostensum est, quibus rationibus &
testimonijs Sacrificium Altaris subnixum subsi-
stat: nunc de ritu eius pauca subiiciantur.

In celebratione Sacrificij Altaris nunc laudes
Dei, nunc fidelis populi preces, nunc gratiarum
actiones, nunc scripturarum lectiones subinde ad-
miscentur. Vnde & laudis, & gratiarum actionis,
& pre-

Iohan. 17.

Matth. 26

1. Timot. 2

& precum Sacrificium recte nuncupatur: quo ritu Catholica Ecclesia Christi exemplū refert, qui in coenae sacrificio pro incolumitate Ecclesiae, quā in terris relicturus erat, multas preces ad patrem fudit, & tandem hymnis & gratiarum actione coenam mysticam consummavit. Sed & hanc Pauli tam seriam cōmonitionem, qua in primis fieri uoluit obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarū actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietā & tranquillā uitam agamus, in omni pietate & castitate, Ecclesia in celebratione Sacrificij Altaris, iuxta Augustini sententiā, planè & examussatim obseruat, dum obsecrationes facit, ante q̄ illud, quod est Domini mensa, incipiat benedici. Orationes uerò, cum benedicatur & sanctificatur: Postulationes autem seu interpellationes, cū populus benedicatur, & misericordissimæ potestati cōmendatur. Quibus peractis, & participato Sacramento, gratiarū actio cuncta concludit. Vide Augustinum Epistola lix. ad Paulinum: ubi ritum celebrandi sacrificij Altaris, qualem hodie obseruat Ecclesia, perspicue agnosces.

Sed & apud alios omnium ætatum uiros Catholicos hunc ritum receptū & confirmatum uidere licet, qui admixtas in celebratione huius Sacrificij preces & gratiarum actiones, & ipsam ho-

stiam

stiam solenni prece cōsecrari solitam, magno consensu meminerunt. De qua re Chrysostronus in Matthæum, homil. lxxxiiij, de sacerdotio li. iij. Basilii Magni de spiritu sancto, cap. xxvij. Theophili, in cap. xiiij. Marci, Gregorius Epistola lxxij. ad Ioannem Episcopum Siracusanum, Ambrosii de Sacra. lib. iij. cap. v. Qui & hunc Canonē, quo nunc utitur Ecclesia, penē secundum singula eius uerba passim in libris à se æditis recensent.

DE MEMORIA SANCTORVM

in Altaris Sacrificio fieri consuetā, & de eorum intercessionibus inibi expetita, & obiter de Sanctorum inuocatione.

CVM itaque in hoc Altaris sacrificio immensius beneficij memoriam recolamus, quo Christus semetipsum pro totius corporis sui mystici, id est, pro omnium credentium incolumitate & salute hostiam fecit, ibiq; secundum Domini exemplum, & Apostoli cōmonitionem pro totius Ecclesiæ incolumitate preces ad Deū fundendæ, et pro omnibus eius beneficijs gratiæ agendæ sint, Ecclesia intra sese omnia sua membra colligens, eorum etiam memoriam facit, qui hac mortalitate exuti, apud Dominum uiuunt, & in primis grata ueneratione Deo dilectos sanctos complectens, pro his gratias Deo agit, qui eos, cum natura imbecilles essent, gratiæ suæ munere ita roborauit

Borauit, ut uicia carnis superarent, & contra peccatum, Diabolum & mortē, non sua, sed Dei uirtute fortes, uiriliter dimicando coronam iustitiæ: à iusto iudice impetrarent. De huius gratiarum actione pro Sanctis antiquitate & consuetudine per totam Ecclesiam diuulgata, uide apud Dionysium Areopagitam, Cyprianum lib. iij. Epistola vi. lib. iij. Epistola v. Augustinum de ciuit. Dei, lib. viij. cap. xxvij. lib. xxij. cap. x. contra Faustum Manichæum lib. xx. cap. xxi.

Nec solum ueneramur Sanctos, & pro his gratias agimus, sed eorum precibus & meritis in omnibus diuinæ protectionis auxilio muniri postulamus, rectè sentientes eos uelut eiusdem communionis ciues, & corporis eiusdem membra etiamnum uno spiritu, & uinculo charitatis nobiscum colligatos, salutem nostram appetere, & malis nostris indolere, ideoque pro necessitatibus nostris apud cōmunem Deum Patrem, per Iesum Christum cōmuncem omnium Mediatore interpellare, Quod ut faciant, ipsum ius cōmunionis, qua nobis iuncti sunt, simul & præceptum eos adducit: Orate, inquit Iacobus, pro inuicē, ut saluemini. Et charitas, qua erga nos afficiuntur, suadet & monet, & ea qua apud Deū nunc pro se securi, et ab infirmitatibus & defectibus immunes uiuunt, facultas non prohibet, quod cōp. cos in alia uita facere.

cere, apertis scripturæ testimonijs cognouimus,
ij. Machab. xv. ubi Onias conpicitur manus pro
tendens, & orans pro populo: & alius uir, ætate
& gloria mirabilis, de quo dicitur: Hic est fratrum
amator & populi Iſrahel: hic est, qui multum orat
pro populo, & uniuersa sancta ciuitate Hierusa-
lem, Hieremias P. opheta. Et Zachar. i. Angelus
pro ciuitatibus Iuda interpellat: Domine exerci-
tuum, usquequo non misereberis Hierusalem, &
urbem Iuda, quibus iratus es?

Hac fide, sicut eorum, qui nobiscum in carne ui-
uunt, ita & Sanctorum apud Deum uiuentium, pre-
ces pro nobis postulamus, & ut pro nobis orent,
eos nominatim appellamus, nec dubitamus, quia
ei, qui potest omnia, facile sit efficere, siue per an-
gelorum ministeria, siue alia sibi placita ratione et
uia, ut nostras petitiones Sancti resciscant. Qui
utiq; hoc præstat, ut Angeli, peccatoris conuer- Luc. 15.
sionem in cælo cognoscentes, gaudio exultent.

Merita uero Sanctorum non talia esse asserimus,
qualia in Christo inuenimus, qui semetipsum pro
nobis impendens, & sanguinem suum pro nobis
fundens, plenam cum Deo reconciliationem mun-
do promeruit. Sancti uero merita sua, quibus &
ipsi saluati sunt, & nobis suffragantur, ex eodem
omnis salutis, & totius meriti fonte, Christi ui-
delicet passione hauserunt. Non enim si iustitiæ

rigorem spectemus, cuiquam Sanctorum operationes suae, quantumuis uirtuosae, ad propriam salutem suffecissent, iuxta illud: Nō iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et illud Christi: Si feceritis omnia quae praecepta sunt uobis, dicite, quia serui inutiles sumus. Et illud Pauli: Non sunt condignae passionis huius temporis ad futuram gloriam, quae reuelabitur in uobis. Ex Dei autem misericordia & liberalitate, & Christi gratia, non solum ipsis ad salutem Sanctorum merita conducunt, sed etiam nobis ad protectionem, & gratiae diuinae impetrationem profunt, Deo in eis misericorditer complente, quod ueraciter promisit, cum ait: Ego sum Deus fortis zelotes, uisitans iniquitates filiorum in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me; et faciens misericordiam in milia, his qui diligunt me, & custodiunt praecepta mea. Sic defuncti Abraham merita filio Isaac profecerunt, Genes. xxvi. Et Iacob in hac religione nepotes suos erudiens, nomē suum & patrum suorum super ipsos inuocari edocuit, Genes. xliij. Quod & Moses plena fiducia fecit: Quiescat, inquit, ira tua, & esto placabilis super nequicia populi tui: recordare Abraham, Isaac & Israel seruatorum tuorum, Exod. xxxij. Sic propter gratiam, qua apud Deum ualuit Dauid, uir secundum cor Dei, tota eius posteritas indulgentiam

tiam Dei in commodum suum persæpe sensit, iij.
Reg. xij. iij, Reg. xix. Esai. xxxvij. Ezech. xiiij.

DE MEMORIA DEFVN-
ctorum in Christo.

Dominus noster Iesus Christus, secundū uo-
luntatem Patris, hostiam redimendis homi-
nibus salutariē seipsum in Cruce affigens, utique
omnes eos, qui hanc uictimā suam, saluandis ho-
minibus iam inde ab origine mundi destinatam,
fide & uoto præuenissent, uel in sequentibus tem-
poribus fide eam amplexuri essent, intra seipsum
uelut membra sua collegerat, uolēs passionis suæ
fructū ad omnes pariter, qui corporis eius mem-
bra unquam effecti essent, peruenire. Vnde Eccle-
sia communis huius sacrificij. memoriā recolens,
omnia sua membra pariter aduocare, nec quenq̄
eorum excludere debet, qui secundū Domini li-
beralem uoluntatem utilitatis huius Sacrificij ca-
pax existit, ideoq; quēadmodum prius Sancto-
rum, ita postea etiam reliquorū Christianorum
memoriā circa Sacrificium Altaris inducit, quos
in uera Christi fide decessisse piē credit, de quibus
tamen satis certum esse nequit, uerum satis emun-
dati & purgati hinc emigrauerint. Aliam tamen
Sanctorū, & aliam aliorum in somno pacis quies-
centium memoriā seruat. Illorum quidem, non
ut oremus pro eis, sed magis ut orent ipsi pro nos

August. in 10
an. tract. 84

bis, ut uestigijs eorum inhæreamus. Horū uerò,
ut communi Domino pro eis supplicemus, quā
tenus Deus omnibus in Christo quiescentibus,
locum refrigerij, lucis & pacis, indulgere digne
tur, per Christum Dominum nostrum.

Eos uerò, qui nos in signo fidei præcesserunt,
uel à commercio orationum nostrarum nō secludamus,
ipsā communionis, quam cum omnibus
Sanctis confitemur, ratio disertè exposcit, quippe
qui etiam corporibus soluti, spiritualibus tamen
nexusibus nobiscum cohærent, & uno spiritu, uel
ut eiusdem corporis membra nobis adglutinantur,
& uinculo charitatis connexi adhærent nobis,
nec mors eos corporalis ex mystici corporis
Christi cōpage præscindere, aut separare potest.

Cum itaq; talem orandi formam nobis Domi
nus insinuauerit, ut nemo pro sua tantum, sed, ue
lut magnæ communionis ciuis, pro omnium uti
litate rogare debeat, & per Apostolū præcipiat,
nos pro inuicē orare, ut saluemur, magnæ in con
sortes suos crudelitatis, & contra Dominum de
testandæ temeritatis fuerit, si quis à commercio
orationum nostrarum in Christo defunctos ex
cluserit, quod eum facere, nusquā scriptura præci
pit, & communionis spiritalis, quam cum Sanctis
omnibus profitemur, ratio disertè uetat.

Hanc autem consuetudinem per totam Christi
Eccle

Ecclesiam diuulgatā, qua circa Altaris sacrificium memoria defunctorum adhibetur, ex Apostolica traditione promanasse, magnis & fide dignis testimonijs abundē doceri potest. Dionysius Areopagita lib. Ecclesiast. Hierarch. cap. vij. De prece super defunctis facienda, ex diuinis ducibus, hoc est Apostolis traditio peruenit ad nos. Vbi et totum harum precum ordinem & rationem luculenter explicat: Precatur, inquit, oratio illa diuinam clementiam, ut cuncta dimittat per humanam infirmitatem admissa peccata defuncto, eumq; in luce statuatur, & regione uiuorum, &c.

Chrysostronus ad populum Antiochenū Homil. lxxix. Non temere, inquit, ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio, Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum. Cum enim confiterit populus extensis manibus, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus, pro his deprecantes?

Damasceus: Apostoli (inquit) discipuli saluatoris, qui totius mundi circulum coepere prædicando uerbum uitæ, quod suis oculis uiderant, in tremendis uitalibusq; sacramentis memoriam eorum, qui fideliter obdormierunt, habendam edixerunt, quod adhuc firmiter atque aduersus contradictionem obseruat Apostolica & Catholica Eccle

*Chrysostr. ad
pop. homil.
69. in 1. Co-
rin. homi. 41*

*In ser. de ijs,
qui in fide
hinc migra.*

Ecclesia Christi & Dei à finibus usq; ad fines terræ, ab eo tempore usque in præsens, & in finem mundi usq;.

*In Enchirid.
capit. 110. in
q. 2. ad Dul.*

Augustinus: Neq; negandū est, defunctorum animas pietate suorum uiuentium releuari, cum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, uel elemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed hæc eis profunt, qui cum uiuerēt, ut hæc eis prodesse possent, meruerunt, &c. Similia uide apud Epiphanium li. iij. contra hæreses, Tertul. ad uxorem, de corona militis, Ambrosiū in oratione pro Imperatore Theodosio, De excessu fratris. Item lib. ij. Epistol. ad Faustum, Cyprianū lib. primo, Epist. ix. Barnard. in Cant. Sermo. lxxvi.

Post hanc defunctorum memoriam, ubi iam iterum Ecclesia communem uiuentium salutem clementi Domino commendauit, reliquæ preces ad dignā sumendæ sacrosanctæ Eucharistiæ præparationem referuntur. Quæ pars Missæ peculiaris est præsentibus, et sacrosanctam Eucharistiam sacramentaliter, aut saltem spiritualiter sumentibus, nec in commune admodum seruit, cum nemo, sicut pro alio baptizari, ita nec sacramentum sumere utiliter possit. Participato tandem Sacramento, & cæteris ritè peractis, gratiarum actio cuncta (ut ait Augustinus) concludit.

DE

DE COMMVNIONE CVM

Sacrificio iungenda.

ATq̄ hic expedierit, cum uerissimum illud & *Augustin. de spiritu & li-
tera cap. ix.*
singulare Sacrificium offertur, ueterem Ec-
clesiæ morem reuocari, quo nō solum sacrificans
ipse, sed & Diaconi, & reliqui Ecclesiæ ministri,
qui diebus solennioribus uelut testes tanti Sacrifi-
cij, & necessariorum ministeriorum coadiutores
adhibentur, ut perceptionis corporis & sanguis
nis Domini nostri Iesu Christi participes se præ-
*De consecra-
tione Dist. 2.
c. Peracta, et
c. Relatum.*
berent, seria Canonū sanctione iuebantur. Sed
& fideles omnes pro recolenda mortis Domini,
& nostræ redemptionis memoria, ad hoc Media-
toris nostri sacrificium confluentes, sedulis exhor-
tationibus monendi & excitandi sunt, ut prius ex-
plorati, confessi & absoluti sacrosanctæ commu-
nionis gratiam sumant, & diuinissimæ Eucharis-
tiæ participationem, unā cum sacerdote sedulo
& deuote frequentent.

DE CAEREMONIIS ET VSV

Sacramentorum.

CAeremoniæ ueteres, quæ sacramento Baptis-
matis adhibentur, retineantur omnes: Exor-
cismus uidelicet, Abrenunciatio, Professio fidei,
Chrisma, et alia. Pertinent enim ad efficaciam huius
Sacramenti adumbrandam & significandam.

Item in caeremonijs ueteribus, quæ ab Ecclesia

K Catho-

Catholica adhibentur Missæ, nihil mutandum
uidetur, sunt enim omnes ad id quod in Missa
agitur, cum primis aptæ.

Et quod ad usum huius Sacri attinet, debent in
singulis ciuitatibus, & in singulis Ecclesijs (etiamsi
in una ciuitate aut loco plures sint) quæ p̄prios
sacerdotes et populi illuc conuenientis frequentia
habent, singulis diebus duæ ad minimũ Missæ ce-
lebrari: Altera matutina, cui interesse possint ho-
mines, qui labore manuũ rem quærunt, ut conue-
nientes uel cõmunicent de Eucharistia, uel se Deo
piè cõmendent. Altera uerò celebrior, quæ canas-
tur circa horam octauam diei antemeridianã, cui
eodẽ modo adsint, qui uel cõmunicare de Eucha-
ristia, uel se Deo commendare uelint. In pagis au-
tem, singulis quibusq; Dominicis & festis diebus
singulæ Missæ ad minimum celebrentur.

Atq; ut populus ad usum Missarum reuocetur
cõmode, concionatores iuxta sententiam de hoc
Sacro superius explicatam, populum hortari de-
bent, ut eidem libenter intersit, cui etiam præscri-
bendæ sunt certæ meditationes, eaq; ad singulas
Missæ partes aptæ. Et ante Præfationem Presby-
ter aut Diaconus, si huius copia sit, ostendat ue-
rum Missæ usum, cumq; populo ex præscripto,
de quo etiam conueniat, commendet, pro ratio-
ne de Sacro hoc superius explicata.

Canon

Canon item, in quo nihil mutetur, habeat etiam succinctam & dilucidam interpretationem, ut inde Presbyteri & functionē officij sui eo melius intelligere, & quod intelligunt, populo explicare possint

Cæremoniæ reliquæ Sacramentorū iuxta præscriptum Agendarū ueterū adhibeantur. In quas tamen si quid irrepserit, quod causam dare possit superstitio, tollatur. Altaria, uestes Sacerdotum, uasa Ecclesiæ, uexilla, item cruces, candelæ, imagines retineantur in Ecclesia: sed ita tamen, ut sint monumenta, nec cultus latriæ in hoc genus transferatur, nec ad imagines & statuas superstitione concursus fiant.

Horæ item Canonicae, & illa pia Psalmodia, quam nobis Apostolus ipse commendauit, ex Ecclesijs minime tollantur: Et ubi sublatae sunt, restituantur, maximè uero de tempore & Dominica, & alijs uetustis & solennioribus festis.

Quæ autē de Sanctis adiecta sunt, ad ea, quæ in ueteri de Sanctis cōmuni posita sunt, reuocanda, et sicubi modum excedunt, corrigenda uidentur.

Vigiliæ item & exequiæ mortuorum, de more ueteris Ecclesiæ celebrētur. Esset enim immane, in Ecclesia nullam illorum memoriā retinere, quasi animæ ipsorum unā cum corporibus interierint.

Festi item dies ab Ecclesia recepti, retineantur,

si non omnes, tamen præcipui: Dominicæ dies, Natalis Domini, Circumcisio Domini, Epiphania, Palmarum, Pascha, cum duobus diebus sequentibus, Ascensio Domini, Pentecoste, cum duobus diebus sequentibus, Corporis Christi. Festi item dies beatæ Mariæ uirginis, et sanctorum Apostolorum, Sancti Ioannis Baptistæ, Mariæ Magdalænæ, Stephani, Laurentij, Michaëlis, omnium Sanctorum, Martini. Et apud singulas Ecclesias eorum Sanctorum, qui ibidem singulares Patroni habentur, ut in eisdem Sanctorum Festis Deum in Sanctis honoremus, nosque ad imitationem ipsorum excitemur, & desideremus orationibus ipsorum adiuuari, & meritis associari.

Dies item Rogationum ante Ascensionem Domini, & Litaniam in die S. Marci, & per annum alias consuetæ Processiones pro ueteri more obseruentur. Similiter in hebdomada sancta, & circa reliqua Ecclesiæ festa debitæ solennitates adhibeantur, & in uigilia Paschæ & Pentecostes aqua Baptismatis per omnes Ecclesias Parochiales solenni benedictione præparetur.

Ac cum abstinentia carniū, quæ non ab omni nationis, sed temperantiæ causa suscipitur, per se bona, et ad carnem castigandam apta sit, ac etiam publica utilitas postulet, ut certis temporibus à carnibus abstineamus, cum aliàs pecora ad assiduam

duum carniū esum sufficere uix possint, mos & institutum ueteris Ecclesiæ diebus ieiuniorū, feria sexta & sabbato à carnibus abstinerēdi, retineatur. Hanc enim abstinentiā Ecclesia ex nulla superstitione suscepit, quæ à cibis quibusdā certis temporibus abstinet, non ob ullam ciborū immundiciā (scient omnia munda esse mundis, & nihil inquirere hominem, quod per os ingreditur) sed ad edomandam carnē, ut anima à prauis cupiditatibus, & malis motibus melius humilietur. Eamq̃ abstinentiā præcipuè diebus ferix sextæ & sabbati indixit, ut homines ad cultū Deo debitum persoluendum, ad auditionē uerbi Dei, & ad sacrosanctæ Eucharistiæ perceptionem (quæ olim frequentior diebus Dominicis seruabatur) hac biuana abstinentia præparati, magis idonei ac digniores accederent, et ut hac uolūtaria castigatione, quasi cū Christo (cuius passionis memoria his diebus potissimum à fidelibus recolitur) carnem suam crucifigerent. Consuetæ etiam Ecclesiæ ieiunia obseruētur, sed ita tamen, ut nō astringantur, q̃s necessitas excusat: quales sunt, qui grauioribus laboribus exhauriuntur, & peregrinantes: Item grauidæ mulieres, lactantes, pueri, senes, ægroti.

Nec improbetur benedictio earum rerū, quæ Exorcismis & orationibus ad usum hominū præparantur, dummodo operationes, quæ inde na-

Titum x.
Matth. 23.

scuntur, non rebus ipsis, sed diuinæ uirtuti tribus
antur, & caueatur, ne eædem ad ullum incantatio
nis aut superstitionis genus transferantur.

1. Cor. 7.

Et quanq̃ cum Apostolo sentiendum est, eum
qui cœlebs est, curare quæ sunt Domini, &c. eoq̃
magis optandum, multos inueniri Clericos, qui
cum cœlibes sint, uerè etiam contineant, tamen
cum multi, qui ministerij Ecclesiastici functiones
tenēt, iam multis in locis duxerint uxores, quas à
se dimittere nolint, super ea re generalis Concilij
sentētia expectetur, cum alioqui mutatio in ea re,
ut nunc sunt tempora, sine graui rerum perturba
tione modo fieri non possit.

Hebr. 13.

Illud tamen negandum non est, etsi coniugium
per se honorabile est, iuxta scripturam, eum tamē
qui non ducit uxorem, & uerè continet, melius fa
cere, secundum scripturam.

Matth. 13.

1. Cor. 7.

Eadem est ratio usus Eucharistiæ sub utraq̃ spe
cie, cui multi etiam assueuerūt, & ab eo auelli, sine
graui rerū motu, hoc tēpore non possunt. Et quia
Concilium Oecumenicum, cui omnes Imperij sta
tus se submiserunt, proculdubio piam & sollicitā
curā adhibebit, ut in hoc casu conscientijs multo
rum, & publicæ tranquillitati optimè cōsulatur,
qui usum utriusq̃ speciei ante hac receperūt, eūq̃
relinquere nolunt, super ea quoq̃ re deliberatio
nem & sententiā Oecumenici Concilij expectent.

Hi

Hi tamen, qui utriusq; speciei usum amplectuntur, illam inueteratam sub una specie cōmunicandi consuetudinem reprehendere non debent; nec alteri alteros perturbent, donec super ea re Concilium Oecumenicum decreuerit.

Et quanquam Sacramentum Eucharistiæ sub utraq; specie institutū est, non tamen sentiendum est, Christum in carne diuidi, cōtra quam scriptura diuinitus inspirata tradit, sed sub singulis speciebus integrum contineri.

Ac quoniā in Sacramento Eucharistiæ est uerū Christi corpus, & uerus Christi sanguis, in hoc sacramento Christum merito adorari debere.

Item, Sacramentum Eucharistiæ semel uerbo Christi consecratum, etiamsi asseruetur diutius, tamen sacramentum, & corpus, & sanguinem Christi remanere, donec sumatur.

Quæ uerò ad disciplinam cleri & populi pertinent, uidentur cū primis necessaria esse, ad tollenda ex Ecclesijs scandala, quæ dant magnā causam horum temporū perturbationi, id quod res ipsa loquitur. Itaq; si quā Ecclesijs utilem Reformationem Cæsarea Maiestas procurauerit, tantū abest, ut quisquā sanctæ religionis & publicæ tranquillitatis studiosus, repudiare eam uelit, ut omnes etiam pro ea citius promouenda & procuranda Cæsaream Maiestatem obnixè & humillimè precari debeant.

